AZ.
E III

TEOLOGIA DOMMATICA
163
B
16.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
B
16
NAPOLI

TEOLOGI

Digitized by Google

THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES.

TOM. II.

Digitized by Google

MICH. ARCHANGELI LVPVLI

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE ECCLESIAE COMPSANAE ARCHIEPISCOPI

THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES

TOM. II.

EDITIO ALTERA.



In antiq. gemma ap. Auctorem

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI

NEAPOLI
EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA
MDCCCXXX

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES

LIBER PRIMUS
DE DEO
EIVSQVE PROPRIETATIBUS.

De Supremo Numine Deo Optimo Maximo, rerum omnium auctore, arbitro, et moderatore orationem instituenti; etsi multa quidem occurrant, quae prope animum de suscepto operis molimine deterrerant, rerum nempe mortali homini inexplicabilium magnitudo, et ea perscrutandi difficultas, quae veluti per speculum in aenigmate in Deo cognoscimus, iucundissima tamen Summi Boni recordatio, qua dulcius nihil umquam esse in terrena hac nostra potest peregrinatione, reluctanti animo promptam addit alacritatem.

Verum age, veritatis templum ingressuri, arma superbiae, et temeritatis, inanemque philosophiae fastum abiiciamus, ne invisibilia Dei, atque aeternae veritatis arcana pertentantes, vel ab ipso corusco tanti Numinis fulgore excaecati, vel ab ipsa decepti ratione in tenebras dilabamur inviti.

CAP. I.

DE EXISTENTIA DEI.

I. Quum ea sit nostrorum temporum conditio, ut non desint qui pessimo publico nati, religionem, atque imperium radicitus evellere conentur, Deumque ipsum, religionis, et imperii auctorem, per summum indignumque nefas adoriri audeant, omnino ea heic res pertractanda accuratius venit, qua nihil certius, et exploratius est, existere nempe Deum. Sed iam id primo aperiendum, quid Dei nomine intelligamus, quem sane, quantum humanae conditionis imbecillitati datum est, sic concipimus. Deus est Ens a se, summum magnum, summum bonum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine, rerum omnium principium, et caussa.

II. At existat ne aeternum hoc Numen, quis nisi in ipsa meridiana luce caecutire velit, vel aliquantisper dubitare poterit? Vnus enim dixit insipiens in corde suo, non est Deus, cuius vestigia premere non puduit perversos usque, et usque blasphemos homunciones (1). Verum quis sibi umquam sua-

(1) Hos inter stultissimos principatum facile obtinet Benedictus de Spinoza, Gente, et primum etiam religione Iudaeus, tandem ex philosopho atheus, qui non alium, quam naturam ipsam, seu hoc universum agnovit Deum, suamque impietatem in systema redegit, ediditque ante annum MDCLXXIII. quo Hagae Comitum IX. Kal. Martias, diem obiit suum. Confer sis Ioan. Colerum in *Vita Spinozae*, et Cl. concivem meum Io: Baptist. Capassum in *Synops. Hist. Philos. in Spinoz.* Huic Thomas Hobesius succedit, philosophus Malbesburiensis, de cuius doctrina sic Samuel Parkerus in *Lib. de Deo, et Provid. disp.* I. *ut Epicurus omnia a Democrito surripuisse dicitur, ita Hobesius omnia Epicuri flagitia ingenti fastu, tamquam sua recudit.* In eumdem censum adscribes duo illa scelera, Petrum Bayleum nempe, et Ioannem Tolandum, quorum impietas cui non comperta? itemque Petrum Aretinum, qui fertur auctor impiisimi operis *De tribus impostoribus*; vide sis Theoph. Spizelium in *Scruti-*

det, perditissimos hosce, qui splendidissimam, et collucentem undique veritatem in aliorum animis obnubilare conati sunt. vere intimo corde persuasos esse Deum non existere? Heu inanes fallacias! Sentit enim quisque in corde suo, aeternum aliquod Numen esse, a quo cuncta reguntur, et moderantur, verum qui a sua tractus concupiscentia in adversum connititur, quid non adversus Deum, scelerum suorum vindicem, impio ore non tentat? Sed non ideo ullus nefario huic hominum generi patet aditus, quo se ab imperio Dei subducant, quum vel ipsius conscientiae testimonio, ipsoque cordis conatu,

---

nio Atheismi, quamvis, ut hoc etiam moneam, dubitatum omnino fuit, et adhuc dubitatur, an umquam eiusmodi liber extiterit. Consulas in hanc rem Richardum Simonem in *Epist.select ep.XVII.* et Burchardum Gotthelff Struvium in *Dissert. de doctis impost.* et Buddeum in *Hist. Eccl. vet. testam. ad period. II sect.* 1. Non absimilis furfuris certe fuit Iordanus Brunus, Nolae in Regno Neap. natus, qui ob sua in Religionem βδελυγματα, Patria relicta, Genevam se contulit, atque hinc per varias Europae partes philosophemata sua disseminavit, donec Venetiis comprehensus, Romamque adductus an. MDC. vivus combustus fuerit. Confer Gasparis Scioppii epistolam apud Struvium in *Act. Litter. fascic. V.*

quo in Deum caeco abrepti furore attolluntur, de Dei existentia convincantur (2).

---

(2) Non satis liquet, qua potius aetate, et quo auctore aperte primum incoeperit atheismus, num a Theodoro Zenonis Cittici discipulo, secta Cyrenaico, qui Atheismi accusatus, legeque damnatus hausto veneno periit: vel a Protagora, Democriti discipulo, qui ob atheismi suspicionem in exsilium ab Atheniensibus pulsus est; vel a Diagora, vel ab alio antiquioris saeculi, etiam antediluviani. Verum, ut quod res est ingenue fatear, neminem umquam arbitror extitisse, qui omni prorsus divinitatis notitia caruerit, ut disertissime evincit Clemens Alexandrinus, *lib. V. Strom.* Hinc si atheos omnes, sive ethnicos, sive Christianos numeres, vix ullum reperies, qui suum vindicem non habuerit. Enimvero Diagoram ab atheismo defendit Iustinus *Apolog. ad Antonin.* Evehemerum Messenium Arnobius *lib. IV.* et Lactantius *Lib. II. Inst. cap. XI.* Heraclitum Iustinus *Apol. 1. pro Chr.* Anaxagoram Iosephus *Contra Apionem*, et Augustinus *de Civ. Dei Lib. VIII. cap. II.* et Lactantius *Inst. lib. V. cap. XV.* Platonem Clemens Alexandrinus *loc. cit.* Aristotelem Iulianus Imp. *Orat. VII.* Epicurum Tullius *lib. 1. de nat. Deor.* Tertullianus *Apolog. cap. XLVI.* Epiphanius, itemque Augustinus *de Civ. Dei lib. XVIII. cap. XLI.* aliique. I. Caesarem Vaninum Neapolitanum, Pomponatii discipulum (qui Taurisani in Apulia natus, quum varias Europae re-

SCHOLION. Qui Divinitatem audent per immane scelus denegare ἄθεοι audiunt, sive ex deliramento nullum esse Deum convicientur, sive ita vivant, perinde ac si Deus non extet. Verum non raro a Patribus vocantur athei, et qui meritum Deo cultum praestare detrectant, et qui plures Deos comminiscuntur; quin praeterea ii aliquando, qui de Dei

---

giones peragrasset, Tholosae tandem an. MDCXIX. ut atheus vivicomburio damnatus periit) acerrime defendit Petrus Fridericus Arfius *in Apol. pro Vanino*, ubi ex multis scriptis nullum penitus auctoris atheismum colligi posse testatur. Sed quid reliquos omnes moror? Hinc Clemens Alexandrinus, in admonitione ad Gentes, atheos hos, ut plurimum, non denegasse Deum fatetur. Idem plane sensit Augustinus in *Ps. LII. Rarum hominum genus est, qui dicant, non est Deus.* Et in *Ps. XIII.* DIXIT IMPRUDENS IN CORDE SUO, NON EST DEUS. *Nec ipsi enim sacrilegi, et detestandi quidam philosophi, qui perversa, et falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere; non est Deus. Ideo ergo dixit: In corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in affectionibus suis, idest dum amant hoc saeculum, et non amant Deum. Ipsae sunt affectiones, quae corrumpunt animam, et sic excaecant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo, non est Deus.*

adtributis non recte sentiunt, qua notione Hieronymus atheum adpellavit Eunomium *in epist. ad Pammach.*

III. At Deum existere innumera paene evincunt argumentationum momenta, quae adeo quidem perspicua sunt, atque aperta, ut mentis potius aciem in ea convertere, quam eadem investigare conemur. Enimvero, ut a nobismet ipsi incipiamus, ubi primum seipsam mens nostra coepit cogitare, absque ulla dubitatione et existentem se confestim sensit: quamvis enim de ceterarum rerum existentia dubitaret, de sui tamen existentia omnimodo est certa, quum id existat oportet, quod cogitat, et dubitat. Hinc porro eadem ipsa scientia, qua se mens existentem intelligit, se non a se, sed ab alio existentem luculentissime cognoscit. Nam fingi nequit a nihilo produci quidquam, multoque magis quod sibi ipsi esse tribuerit, quo caret. Si enim sibimet existentiam tribuisset, multas, et infinitas alias perfectiones utique tribuisset: Nam eadem facultas, quae ei non existenti ad dandam existentiam satis fuit, sufficeret profecto etiam ad communicandas eidem iam existenti innumeras alias perfectiones, quum longe minor vis ad id requiratur.

IV. Sed porro mens se non a seipsa existentem clarissime intelligens, existentiae etiam suae durationem ab alio intelligit pendere. Duratio enim est per successiva momenta, quorum unum nullo sane pacto ab alio dependet, quum aliud alio deficiente sit. Quamobrem quae in secundo instanti existit res, perinde est quoad existentiam, ac si numquam in primo instanti extitisset; illud siquidem instans iam effluxit, neque ullum iam ipsius vestigium remansit. Igitur quoad durationem existentia in secundo instanti non est ea, quae in primo erat instanti: illo enim instanti pereunte, ipsa quoque instantanea duratio intercidit. Quemadmodum ergo quae numquam extitit res, sibi ipsi tribuere numquam potuit existentiam; ita etiam existens, se se in suo esse per sequiora instantia conservare nequibit. Haec clare quidem anima noscens, nequit non noscere, et fateri simul Deum a se existentem, auctorem, et conservatorem suum.

V. At praeterea nullus dubitat, nisi sensibus, et ratione prorsus destitutus, quin aliqua corpora in hoc mundo moveantur. Motus vero omnino caussam clamat unde profluat. Caussas si numeres, aliam post aliam, necessario semper ad primum motorem deve-

niendum est, qui alius nequit esse, quam Deus. Quid si impudens quis (3), et usque desipiens contendat, dari substantias corpo-

(3) Ioannes Tolandus, Gente Anglus; atheus, ut semel dicam, omnium perversissimus, per summam certe vel stultitiam, vel amentiam contendere ausus est motum, vel conatum ad motionem esse materiae essentialem; sed quam infeliciter, quamve insipienter, pluribus demonstrat Clarkius in *Demonstr. Exist. Dei ad propos. III.* Stultissimum hominem haud moror, unum attamen aio: aut iste essentialis motus ad unam, aut ad omnes tendit directiones; falsum primum: nam nihil in quovis corpore est, quod id potius ad unum, quam ad alterum latus impellat. Falsum alterum, quia ex pluribus directionibus directe oppositis, et aequalibus nullus exurgit motus; ac proinde corpora ex se ipsis quievissent in aeternum. Sic et blasphemavit impius auctor impiissimi operis *Systeme de la nature*: Nimirum et ista pestis etiam nostris hisce temporibus reservata erat, quibus Lucretii dogmata recocturus Gallus pseudo-Mirabodus infamem adeo proderet libellum, ut *Philippicam contra Deum* Volterius ipse dixerit, et *Kabbalae philosophicae codicem audacissimum* Seguierius in *Requis. habita in Comit. Galliae an.* 1770. Merito hinc igni damnatus a cunctis fere Europae Principibus, ut in *Dict. Phys. suppl. art. Systeme de la Nature*: *Cette monstrueuse production parut vers le milieu de l'année* 1770, *et tout de suite ce livre fut condam-*

reas, quae a seipsis moveantur? Sed ista se movendi vis si ab alia quadam caussa ema-

nè à être brûlé dans presque tous les Royaumes de l' Europe, et nommément en France par arrêt du Parlement de Paris du 18. *Août de la meme année.* Eiusmodi tamen id opus est, ut aliena confutatione prorsus non indigeat, ipse namque stultus auctor, sibi numquam constans, nonnisi contradictiones patentissimas conglobavit, proindeque semet ipse centies milliesque abunde confutavit. Re quidem vera, quod ad nostrum pertinet scopum, sic auctor in *Part.* 1. *chap.* 2. *La matiere se meut en vertu de son essence, et par sa propre energie*, plenisque buccis clamat motum esse materiae essentiale adtributum. Et tamen, quis crederet! contrarium prorsus eodem capite suadet: *Si nous regardons la chose de plus pres, nous serons convaincus, qu' a parler strictement, il n' y a point de mouvemens spontanes dans les differens corps de la Nature.* Idemque repetit *Part.* 1. *chap.* 10.: fatetur enim materiam inertem esse, nec moveri posse, nisi ab alio impulsam: *Tout corpus est mu par quelque corps qui le frappe.* Hem qui sunt nostrae aetatis scioli; ipsi se enecant! Sed Gallico tamen errori, Galliae duumviri clarissimi potissimum occurrerunt, Io: de Castillon *observations sur le livre intitulé Systeme de la nature chap. V. Berolini* 1777. et Cl. Bergerius Parisiensis Ecclesiae Canonicus in opere *Examen du materialisme tom. I. cap. II.* quos conferas.

nat, quaenam illa est, et vnde istam hausit facultatem? Profecto tandem principium aliquod, a materia distinctum, quod omnis motus prima caussa, primusque motor sit, agnoscas, volens nolens oportet. Quod si vero motus iste ab ipsa pendeat materia, omnino illud sequitur, motum esse materiae essentialem, quod stultissimum erit.

VI. Sed esse praestantem aliquam, aeternamque Naturam, et eam suspiciendam, admirandamque, mundus ipse, in quo versamur, cogit fateri. Argumentationem equidem omnium clarissimam pluribus non urgeo; nec moror hic eos, qui per summum deliramentum deblaterarunt ex atomorum - concursione fortuita mundum esse perfectum. Nam ut Tullii verbis utar *Lib.* 1. *De nat. Deor.* « Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum aliquo coniiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, vt deinceps legi possint, effici. Sed ex continua ista, et fortuita concursione, cur alii in dies mundi non nascuntur, alii non intereunt? Quod si mundum efficere possunt, cur templum, cur domum, cur urbem non possunt, quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? »

VII. At si oculos paullisper in orbis magnitudinem, ordinem, pulchritudinem intendamus, instat, et urget Deus, et quo nos cumque vertimur, eum esse rerum omnium sapientissimam, infinitam, et omnipotentem caussam luculentissime agnoscimus (4).» Cae-

(4) Hoc invictissimo omnium argumento innumeri paene Ecclesiae Patres in adstruenda Divinitate usi sunt. Confer Augustinum *lib. III. et XV. cap. IV. de Trinit.* Hieronym. *in Eccles. cap. III.* Lactant. *lib. I. cap. XI.* Athenagor. *Apolog. pro Christian.* Theodoret. *Orat.* 1. *de provident.* Clementem *Praecognit. lib. VIII.* Athanasium *contra gentes.* Gregor. Nazianzen. *orat. II. de Theol.* Sed Tullium Ethnicum hominem maxime heic praestat audire. *lib. II. de Nat. Deor Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum caelum suspeximus, quam esse aliquod aeternum numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?* Quod idem alibi repetit *lib. II. de Divin.* iterumque *De Arusp. respons. IX. Etenim quis est tam vecors, qui quum in caelum suspexerit, deos esse non sentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? aut cum Deos esse intellexerit, non intelligat eorum numine hoc tantum imperium natum, et auctum, et retentum?* Sed pudet me heic insipientissimum huius saeculi philosophum Volterium

lum ipsum (loquor enim cum Minucio Felice,) vide quam late tenditur, quam rapidè volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; iam scies quam sit in eo summi moderatoris mira, et divina libratio. Vide et annum ut solis ambitus faciat, et mensem vide, vt luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, et luminis dicam recursantes vices,

---

audire, qui in *epist. XXV. sur les pensèes de M. Paschal* temerarium esse effutit, nec non et damnosum, naturalibus rationibus ostendere Deum existere. Ecquam enim tibi hoc insano principio viam muniturum speras? Sed sacrae litterae innumeris huiusmodi scatent argumentis; hinc *Iob. XII.* 7. INTERROGA IUMENTA, ET DOCEBUNT TE, ET VOLATILIA CAELI, ET INDICABUNT TIBI, ET NARRABUNT PISCES MARIS. QUIS IGNORAT, QUOD OMNIA HAEC MANUS DOMINI FECERIT? Et in *Ps. XVIII.* COELI ENARRANT GLORIAM DEI, ET OPERA MANUUM EIUS ANNUNCIAT FIRMAMENTUM. Et *Sap. XIII.* VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES, IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI, ET DE HIS QUAE VIDENTUR BONA, NON POTUERUNT INTELLIGERE EUM, QUI EST, NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT, QUIS ESSET ARTIFEX.

ut sit nobis operis, et quietis alterna reparatio? Quae singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis, et perfectae rationis eguerunt, verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia, et ratione non possunt. Quid? quum ordo temporum, ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum, parentemque testatur? Ver aeque cum suis floribus, et aestas cum suis messibus, et autumni maturitas grata; qui ordo certe turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiae quantae, ne hiems sola glacie ureret, aut sola aestas ardore torreret, autumni, et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti, et innoxii transitus laberentur. Mari intende, lege litoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quam e terrae visceribus animatur » Nonne haec omnia veluti tuba quadam sonora Deum esse testantur (5)?

(5) Iterum Tullius *De Nat. Deor. Lib. II. cap. V. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit: et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicis.*

VIII. Atque hinc certe ipsum animae testimonium derivat. quo vel impudentissimus quisque Deum existere convincitur (6). Nimirum hac potissimum argumentatione Gentiles perstringebat Tertullianus *in Apolog. cap. XVII.* » Vultis ex ipsius animae testimonio comprobemus, quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus, et concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, quum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, Deum nominat; hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus bonus, et magnus.

---

situdinibus; nam multarum rerum, ac tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa, et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

(6) Quid tu igitur, impudentissime *Systematis naturae* auctor contendis, Dei notitiam ad nos ex nostris parentibus pervenisse, iisque ignaris, et silvestribus, vel ex educatione, vel etiam ex legislatoribus? Quid? si ex parentum ignorantia Dei opinio nata esset, cur non postbac eliminata, ubi sequioribus aevis doctiores evaserunt homines? Si ex educatione? vide ne tibi experientia resistat, qua docemur, non obstare educationem, quo minus liberi in plurimis rebus diversas admodum a parentum placitis opiniones sectentur. Si ex legis-

Et quod *Deus dederit*, omnium vox est; iudicem quoque contestatur illum, *Deus videt*, et *Deo commendo* . . . . Certe prior anima quam littera, et prior sermo, quam liber, prior sensus, quam stylus, et prior homo ipse, quam philosophus, et poeta. Numquid ergo credendum est, ante litteraturam, et divulgationem eius, mutos absque huiusmodi pronunciationibus vixisse homines? Et unde didicit anima? certe non a philosophia, non a litteris, vel scripturis, nec a disciplina; haec enim pronuntiat nondum scholis formata, simplex, rudis, impolita, idiota, de compito, de textrino tota: haec a natura didicit: magistra natura, anima discipula. »

IX. Insita enim est omnibus hominibus Dei notitia, atque vivida hinc, et apud gentes omnes constans. Quid? adhibe unanimem hominum consensum, qui sive ru-

---

latoribus? cur nobilissimi philosophorum principes, qui longe in rebus naturae disquirendis profecerunt, et Deum fatentur, et auctorem admirantur? Quid? adeo igitur versuti Legumlatores, ut Platonem, ut Socratem, ut Pythagoram, ut Zenonem, ut Aristotelem maximarum sectarum antesignanos, ut Simplicium, ut Proclum, ut Iamblicum, ut Plotinum tam facile et fallere, et deludere potuerint? heu te miseram nostri saeculi pestem! Lege sis quae fuse adversus impiissimum hominem scribit Cl. Bergerius in *Exam. du materialism. Part. II. cap. II.*

des, sive docti, longe licet dissiti locis, legibusque, et tempore diversi, Deum esse fatentur (7). Vniversa nimirum gens Orientalium, et universa, quae ad Occidentem, Septemtrionem, et Austrum pertinet, uno ore constanter per tot saeculorum millia Deum praedicant. Adposite hinc Poeta in *Carm. de Prov. apud Prosper.*

Seu nostros annos, seu tempora prisca revolvas,
Esse omnes sensere Deum; nec defuit ulli
Auctorem natura docens, et si impius error
Amisit, multis tribuens, quod debuit uni,
Innatum est cunctis genitorem agnoscere verum.

Nec porro, ut ipse Ethnicus homo Tullius

(7) Idem argumentum Tullius persequitur *Tuscul. lib. I. cap. XIII. Firmissimum hoc adferri videtur cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim, et naturam divinam arbitrantur.* Et praeclare insuper Plutarchus adversus Colotem Epicureum: *Si totum peragraveris orbem, invenies quidem urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, pecunia carentes, theatrorum, gymnasiorumque nescias, urbem vero sine templis, et sine diis, quae precibus non utatur, aut iuramentis, aut oraculis, aut sacrificiis ad bona obtinenda, cavenda autem mala, nemo umquam vidit;*

aiebat in *Quaestionibus Tusculanis lib* I. *cap.* XIII. » id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata: non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est ... Enimvero nisi Dei notitiam cognitam, comprehensamque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusque hominum vivax, et illaesa procederet. «

---

et facilius arbitror, urbem sine solo, quam sine deorum persuasione posse consistere. Nec porro sexcenta aliorum testimonia heic moror, quae conferas, si lubet, apud Cl. Hugonem Grotium *de jure bel. et pac. lib. I. cap. I.* Praeterea quae de gentibus atheis ab antiquis scriptoribus accepimus, ut de Thoibus apud Porphyrium *De abstin. ab animat. lib. III.* de Nasamonibus apud Dionysium in *Perieges. vers.* 210. consulas Cl. Io: Albertum Fabricium in *Bibliograph. antiq. cap. VIII.* §. *III.* Quae recentiores scriptores habent de Brasilianorum in America, Cafrorum in Africa, aliorumque gentium atheismo, et vana, et lubrica, et falsa sunt, quemadmodum docte evincit Io: Ludovicus Fabricius in *Apologetic. pro genere humano, contra calumniam atheismi.* Hanc ipsam calumniam a Canadensibus, Antillarum insularum incolis, Brasilianis, Cafris, seu Hottentottis, mul-

SCHOLION. Deus hinc invincibiliter ignorari nequit, eiusque ignorantia, si qua gens ulla umquam laborare videatur, inexcusabilis est. Quemadmodum enim a salute nullus excluditur, quae et nulli umquam defuit, et si cui defuit, dignus non fuit, ut praeclare Augustinus, ita neque a Dei cognitione, sine qua nec veram religionem adsequi, neque aeque aeternam adquirere possumus salutem. Quod ipsum et ex Sacris litteris, et ex Patribus adprime confirmatur; hinc in *Ps. LXXVI.* EFFUNDE IRAM TUAM IN GEN-

---

tis testimoniis depellit Cl. La Croze in *Entret sur divers suiets d'Histoire*, aliique sexcenti scriptores. I nunc, et crede, si potes, Bayleo. Quod porro Bayleus de Chinensibus habet in *lib. continuation. des pensées diverses*, id nonnisi de philosophis nonnullis verum esse, non autem de tota Chinensium gente, compertissima res est. Quod de Gamensibus idem Bayleus ait in *Dictionar. hist. crit. voc. Sommona Codom*, conferas Cl. Io: Christophorum Wolfium *de athcismi falso suspectis sect. II. §. VIII.* qui ei resistit. Obiicit ulterius Bayleus, multas alias gentes nondum nobis cognitas esse. Sed unum dicam, eas gentes, si revera sunt, tam exiguum orbis occupare spatium, ut cum toto orbe cognito comparatae, minime in censum veniant.

*

TES QUAE TE NON NOVERUNT ET IN REGNA QUAE NOMEN TUUM NON INVOCAVERUNT. Et Paullus Apost. *ad Rom. ep.* I. INVISIBILIA ENIM IPSIUS A CREATURA MUNDI PER EA QUAE FACTA SUNT INTELLECTA CONSPICIUNTUR SEMPITERNA QUOQUE EIUS VIRTUS ET DIVINITAS; ITA VT SINT INEXCUSABILES. Quibus Patres consentiunt, quorum instar sit Tertullianus *in Apologet. cap. XVII. Et haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.*

CAP. II.

DE ESSENTIA DEI.

I. DIvinam aeterni Numinis naturam, vti in seipsa est, nemini umquam mortalium clare quidem, et perspicue vel intelligere, vel cognoscere datum est. Nam POSUIT DEUS TENEBRAS LATIBULUM SUUM *Psal.* XVII. et HABITAT LUCEM INACCESSIBILEM. Sciemus attamen multum, si non aliud quam est, de Deo sentiamus; et si dicere prohibemur quid sit, dicamus quid non sit. Non est Deus corpus, non terra, non cae-

lum, non sol, non quodcumque videmus (8),

SCHOLION. Essentiae nomine id intelligimus, quod in Deo, prout a nobis imperfecte cognoscitur, primum concipitur, ex quo, veluti ex uberrimo fonte quodam, ceteras omnes proprietates intelligimus emanare. Quam-

(8) Insanissime omnium desipuere Pantheistae, qui Dei naturam a rerum universitate nihil quidquam discrepari deblaterarunt. Horum fortasse princeps Strato ille Lampsacenus fuit, de quo sic Tullius *lib. 1. de nat. Deor. cap.* XIII. *nec audiendus est Theophrasti auditor Strato, is qui physicus adpellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quae caussas gignendi, augendi, minuendi habeat.* Sed pantheismi caussam, longo hinc temporis intervallo iam prope oblitteratam, Iudaeus ille pessimus Benedictus de Spinoza in se quanta maxima suscepit audacia, atque geometrica methodo exposuit in *Ethica*. Vniversi systematis summa huc redit: adspectabilem rerum universitatem, ex immensa cogitatione, atque extensione, veluti duabus cardinalibus proprietatibus conflatam, Deum esse. Sed ineptissima quaeque, quae delirus homo in hanc rem congessit, prudens heic non moror; satis enim est, ut a Petro Bayleo adprime explosa sint. Sinamus igitur impium ab impio conculcari. Sed antequam in tuam pessimam crucem abeas, Spinoza, resiste parumper dum paucula a te petam. I. quae inter se pugnant,

vis enim Deus unus sit, atque omnia quae Dei sunt, unum in eo sint, quum tamen copiosam illam unitatis plenitudinem complecti mens nequeat, eam veluti per gradus aliquos quodammodo intelligere conatur, diversasque in Deo distinguit rationes, prout diversis eam-

---

atque in aeternum pugnabunt, cogitatio nempe, et extensio, quo pacto in tuo Spinoziano Deo tam amice conspirant? II. in tam insulso systemate quis iste Deus tuus est, vel quae proprietates Dei tui erunt? nam cogitationis, et extensionis compositio simplicitatem Dei tui destruunt; vicissitudines porro, quas perennes universalis substantia patitur, immutabilitatem Dei tui evertunt; deinde materia quae Dei tui essentiale est adtributum omnes Dei tui perfectiones de medio tollunt, quid enim materia vilius, et imperfectius? Hem cum quo hominum genere pugnandum nobis est? Spinozianus igitur Deus compositus est, mutabilis est, vilis, et imperfectus est. Sed III. accedit amplius quod quod bilem ciet usque, et usque: quidquid extensum est, universim acceptum in tuo systemate Deus est, singillatim vero sumptum eiusdem Dei modus est; sed quum quae in modis obtinent, ipsi prorsus sint tribuenda Deo, nemo unus non videt Spinozianum Deum probum esse, et improbum; sapientem, et stultum; beatum, et miserum; divitem, et pauperem. Sed hem quae absurdorum congeries quae hominis inaudita stultitia, et ignorantia!

dem absolutissimam, atque individuam *essendi* universitatem conceptibus adtingit. Porro quemadmodum in rebus omnibus aliud est natura rei, aliud quae ex ea proficiscuntur, eique adhaerent, proprietates, sic in Deo, licet unus, et simplicissimus sit, aliud esse cogitamus quod est ipse, nempe substantiam eius, aliud quod eam iam constitutam afficit. Atque id primum essentiam dicimus, hoc vero proprietates, et adtributa.

II. Sed ipsum Deum audiamus de rubo ad Mosen *Exod.* III. 14. loquentem אחיה אשר אחיה. SUM QUI SUM. Moses nempe ratus aliquid Dei proprium noscere, quod non ei esset cum caelestibus proprietatibus commune. Ostende te mihi, inquit, et in caliginem, vbi erat Dei vox ingredi audet. Sed novit mentem Mosis Deus, neque ei nomen ostendit, sed negotium, nimirum rem expressit, non adpellationem, dixitque: EGO SUM QUI SUM SIC DICES FILIIS ISRAEL: QUI EST MISIT ME AD VOS. *Exod.* III. 31. Agnoscat nunc quisquis est, Dei essentiam in ipso divino responso EGO SUM QUI SUM. Quid enim singularius, quid nobilius, quid augustius vel cogitari, vel intelligi in Deo potest, quam το ειναι ESSE? O verae divinitatis unum, et insigne indicium!

SCHOLION. Quod de se prius, peculiarius, simplicius Mosi Deus adprime aperuit, illud secundum notionum nostrarum ordinem, ut primum, ut peculiare, ut simplex, ut ratio ceterorum concipiendum est.

SCHOLION. Existentia est prima, et maxima omnium perfectionum, siquidem illis vitam, et soliditatem impertitur; ergo primum, quod in ente perfectissimo intelligitur, est ESSE. Sed hoc ESSE nullo pacto relativum esse potest, nam esse relativum non potest esse perfectissimum. Ergo quod primum concipitur in Ente perfectissimo est ESSE absolutum, atque a se.

III. Indicium profecto verae divinitatis, singularissimum, summum, et unum est ESSE, in quo aeternitatis, et incommutabilitatis inconcussum quiescit fundamentum. Nam quod est, id semper est, et qui est, semper ipse est, et qualis est, semper talis est. Incrementa enim originem monstrant, et detrimenta mortem, atque interitum probant. Et ideo EGO, ait, SUM DEUS, ET NON SUM MUTATUS; statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud potest, quod est Deus, semper sit necesse est, ut semper sit Deus, servans se virtutibus suis. Et

ideo dicit: EGO SUM QUI SUM, quoniam eamdem semper sui obtinet qualitatem.

IV. Ergo hoc solum Numen ESSE vere arbitramur, quod secundum aeternitatem, et infinitatem in ESSE deprehenditur, et quidquid in eo spectatur, semper eodem modo se habet, neque in eo fit quidquam vel prius, vel posterius. Ipse est qui est; Est, nec ideo habet aliunde esse, sed suum est; Est, et totus in seipso est, et totum in seipso comprehendens habet ipsum ESSE, veluti pelagus quoddam substantiae infinitum, et interminum.

SCHOLION. Ab ente perfectissimo, quod est a se, iure infertur illimitatio in tota latitudine Entis absoluti, et plenitudo ceterarum omnium perfectionum, quae Deo tribuuntur. Nam quod sibi, ut substantialiter sit, satis est, sibi etiam ad omnes modos, quibus sit, communicandos satis erit. Ergo esse a se, est fons, ac veluti caussa omnium, quae cogitantur de Deo, et perfectionum omnium, quae in Deo concipiuntur. Ad rem sane Bernardinus *Serm. X. in Cantic. Deus non aliunde bonus, quam unde magnus, neque aliunde iustus, et sapiens, quam unde bonus, et magnus, nec aliunde denique simul haec omnia, quam unde Deus, et hoc est, quia non est ab alio, sed a seipso.*

V. Porro quamvis intellectio summa sit vitae perfectio; ratione tamen nostra, nonnisi a divina essentia emanat. Neque igitur in actuali intellectione constituenda est divina essentia, nam huiusmodi intellectio est aliqua certe operatio, et omnis operatio principium habet, atque subsistentem naturam, ex qua oritur; neque in vi, et facultate intelligendi, quae item ab essentia profluit, nec radix est omnium perfectionum divinarum. Quaenam enim esset ista consequutio: Deus intelligit, ergo est omnipotens, immensus, bonus? Sed summum erit argumentum: Deus est a se, ergo est summe intelligens, summe bonus, summe perfectus, summe omnipotens. Sic adversus Thomistas. Quid porro Scoti moramur sectatores? Primo intelligimus rem aliquam esse, deinde vero esse infinite perfectam. Quamobrem in ESSE, quod primum concipimus, non in infinitate, quae ratione nostra ab ESSE, veluti ex suo principio emanat, merito constituitur divina essentia.

VI. Mirum enimvero est, quod de hac clarissima omnium veritate adhuc contendant Scholastici, quam omnes ad unum Sanctissimi Patres tenuerunt (9), quam et ipsi Phi-

(9) Scoti asseclae in infinitate radicali, seu in

losophi Ethnici mirum quantum docuerunt. Quid de Platone, quid de Plotino dicam, qui vere divina scripserunt? Dignissima por-

---

omnium perfectionem cumulo Dei essentiam constituunt; Thomistae tamen in intellectione, quorum quidem alii in intellectionis principio, alii potius in ipso actu sitam esse contendunt. Verum nos vestigiis SS. Patrum insistimus, quos veluti duces, et antesignanos sequimur, quique luculentissimis verbis Dei essentiam in Esse a se constituunt. Confer Iustin. Martyr. *in Cohortat. ad Graecos cap.* XXI. et *Orat.* 36. *et* 38. Gregorium Nyssenum *orat.* VII. *contr. Eunomium*, Gregorium Nazianzenum *Orat.* XXXVI. Dionysium *de divin. nomin. cap. V. n.* 4. Ioannem Damascenum, Hilarium *lib. I. de Trinit.* et *in Ps. II.* Ambrosium *lib. de fuga saec. cap.* 1. *et in Ps.* XLIII. Augustinum *Confes. lib.* 1. *cap.* 6. *de morib. Manichaeor. lib.* 2. *cap.* 1. *de Trinit. lib. V. cap.* 2. *et in Ps.* CXXXIV. Bernardum *serm. IV. in cantic. et de Consider. lib. V. cap.* 6. Sed ex Graecis omnibus audiamus Hilarium *lib.* 1. *de Triuit. cap. V. Non aliud proprium magis Deo, quam Esse intelligitur, quia idipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque coepti.* Et Nazianzenum *Orat.* XXXVI. *Qui est: nomen illud magis proprium esse comperimus, nos enim naturam exquirimus, quae ipsum esse per se habeat.* Et Epiphanium *Haer. LXIX. n.* 7. QUI EST MISIT ME. *Dic filiis Israel. Qui est*

ro, et quae Plutarchus habet in aureo libello de syllaba EI Delphico Oraculo inscripta: » Resalutandi Dei gratia αμειβομενοι τον θεον respondemus; ει, es; quasi veram ac propriam, adeoque solam, eique soli convenientem hanc a nobis adpellationem tribui fatemur, et mox » At Deus ΕΣΤ, si fari oportet, nec tamen tempore ullo ipse est, sed aeternitate dumtaxat, cuius nec prius

---

igitur, est Ens; Ens autem ipsa est essentia, quae est. Ex Latinis Patribus porro audiamus Hieronymum in *Epist. ad Damasum: Vna est Dei et sola natura, quae vere est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est; cetera quae creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt, et potest rursum non esse quod non fuit. Deus solus, qui aeternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet. Ideo et ad Moysen de rubo loquitur*: EGO SUM QUI SUM. Et rursum: QUI EST MISIT ME. Sed ne pigeat et audire nostrum Augustinum *de Trinit. lib. V. cap. 2. Est tamen Deus sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia, quam Graeci ουσιαν vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, et ab eo quod est scire dicta est scientia, ita ab eo quod est esse dicta est essentia. Et quis magis est, quam ille qui dixit*: EGO SUM QUI SUM,

quidquam est, nec posterius; futurum nihil, nihil praeteritum. Sed qui unus est, idem uno etiam nunc sempiterni durationem implet. αλλ' εις ων ενι τω νυν το αει πεπληρωκε . . . Sic igitur Deum salutare oportet, aut saltem his verbis unum es, ει εν, id quod priscorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus est, ut nos, qui congeries quaedam sumus. Sed unum oportet id esse, quod est; ac vicissim id esse, quod unum est » Sane quae hoc Plutarchi testimonio digniora proferri possent, non video.

CAP. III,

DE SANCTIS DEI NOMINIBUS.

I. Operae pretium facturus equidem videor nonnulla iam nunc de nominibus Dei disserere, quae in Sanctis Libris occurrunt, quaeque primum, potioremque locum in Theologicis lectionibus sibi vindicant. Sed summum magnum, summumque bonum, quod supra entis, mentisque naturam, supra veritatem, et pulchritudinem, metas omnes intellectionis transgreditur, quo potius nomine, et sua incomprehensibili maiestate, et sua ineffabili magnitudine digno, nominemus?

II. Rectius enimvero, digniusque de Deo sentiemus, si Deum innominabilem dicamus, quemadmodum et ipsi sapientiores Ethnici philosophi senserunt: Plato sane sic de Deo: θεος αρρητος και ανωνομαστος, idest *Deus indicibilis, et innominabilis*. Et in *Parmenide sup. I.* Deum non definiri posse perhibet, non scientia capi, quocirca neque nominari, neque dici posse, neque cogitatione comprehendi. Cui et Plotinus accedit *Ennead. V. lib. V. cap. VI. Nos nostris quasi quibusdam parturientis angustiis laborantes, quid potissimum dicere deceat, ignoramus; et de illo quod dici non potest, dicimus, atque nominamus, significare aliquid nobis ipsis, quoad possumus affectantes*. Hinc Martianus Deum αγραμματον adpellat, *qui* nempe *scribi nequeat*.

III. Sed et longe ante Platonem Trismegistus, si vera eius sunt scripta, et ipse θεον ανωνυμον dixit, et in *Asclepiad.* ου το ονομα ου δυνατον ανθρωπινω στοματι λεχθηναι: *cuius nomen non potest humano ore efferri*. Fertur et Apollinis Delphicum oraculum ita cecinisse: ου το ονομα μηδε λογω χωρουμενον *cuius nomen nec oratione capi potest*. Atque hinc lux adfulget inscriptioni arae Atheniensium IGNOTO DEO positae, de qua in *Act. Apost.* quo nomine constanter teneo Judaeorum Deum

coluisse Athenienses, quem idcirco *ignotum* dixere, quod Judaei *τετραγραμματον* nomen studiosissime occultabant, neque in vulgus efferebant, veriti ne id ludibrio gentilium pateret, vel etiam in populo Dei vilesceret (10). Ethnicis non restitere hac in re Christiani. Dionysius Deum adpellat *αρρητον τε λογω παντι το υπερ λογου, αγαθον*, *omni sermone ineffabile, super omne verbum, bonum*. Et Lactantius Firmianus: *Deo nomen non est, quia solus est*.

IV. At plura tamen Divina nomina in vetusti foederis tabulis habemus, quibus quodammodo ad aliquam Dei cognitionem manuducamur, quaeque S. Hieronymus, Christianae Ecclesiae singulare lumen, et ornamentum, decem enumerat *in epist. XXV. ad Marcellum*: nimirum יהוה *Iehova* אהיה *Ehieh* יה *Jah* אלוה *Eloah* אלהים *Elohim* אל *El* שדי *Schaddai* אדני *Adonai* צבאות *Tzebaoth* עלידן *Elion*, atque haec quidem altissimi Dei nomina in duas potissimum classes dispescere opportuna res erit; quaedam enim Dei innuunt essentiam, quae tria sunt, alia vero Dei ipsius proprietates, et adtributa.

(10) Vide sis Heinsium in *Exerc. V. ad Apost. loc.* Dietericum in *Antiqq. bibl.* et Jacobum Hellerum in *exerc. de Deo ignoto Athen. Thes. Graecar. antiq. Gronov. tom. VII. p.* 223.

V. Sane inter Essentiae nomina iure primum sibi vindicat locum τετραγραμματον illud, et omnium nomen sanctissimum Jehova (a radice היה esse) quo nimirum Deus indicatur QUI EST, quemadmodum praeclare Dei interpres Ioannes expressit in *Apocal. cap. I. v. 4.* χαρη υμιν και ειρηνη απο ο ων, και ο ην και ο ερχομενος GRATIA SIT VOBIS AB EO QUI EST, ET QUI ERAT, ET QUI VENTURUS EST. Atque id ipsum nomen est quod GLORIOSUM et TERRIBILE dicitur *Deuter. XXXVIII.* 52. et per Synecdochen NOMEN ILLUD in *Levit. XXIV.* 11. Sed quomodo potius pronunciandum sit, adhuc lis est inter viros doctissimos; alii cum Samaritanis *Iahuc*, alii cum Graecis *Iao*, alii cum latinis *Iova*, alii cum recentissimis *Iehovah*, alii aliter pronunciandum contendunt.

VI. Alterum nomen est אהיה EHIEH. *Ero*, (doctissimorum Hebraeorum, et S. Hieronymi auctoritate comprobatum) quod Deus iure sibi tribuit; quum enim Moses ad Israelitas mittendus, a Deo quaereret de nomine ipsius, respondit ei Dominus *Exod. cap. III. v.* 12. et *v.* 14. EHIEH MISIT ME AD VOS, nempe litterali versione *ero, qui ero*. Sed fortasse futurum pro praesenti heic ponitur SUM QUI SUM, quemadmodum reddiderunt Inter-

pr. LXX. Graec. εγω ειμι ο ων, et D. Hieronymus, nam *esse in praesenti maxime competit Deo, cuius esse non novit praeteritum, neque futurum.* Accedit quod futurum saepissime apud Hebraeos pro praesenti, quo illi carent, ponitur.

VII. Tertium essentiae nomen, quod Deo tribuitur, est יה IAH cuius radix fortasse ex ipso nomine Tetragrammato emanat; videtur enim eiusdem nominis decurtatio quaedam, uti quamplures Hebraeorum doctissimi putarunt. Hinc in *Ps.* LXVIII. et CL. 6. et alibi id nomen *Iah* LXX. interpretes reddiderunt Κυριος, perinde ac reddunt nomen יהוה.

VIII. Sed ad alteram Divinorum nominum classem deveniendum, quibus Dei innuuntur proprietates, cuiusmodi est אלוה ELOAH, quod sic in singulari numero in Sacris Libris legitur, et in plurali *Elohim*, et *Elohe.* De eius origine multi multa dixere, quae longum esset referre. Contendunt tamen Hebraei, iudicii nomen id esse, et iudicem significare, aut iudices, seu magistratus. Hinc *Exod. XXII.* 8. ET ACCEDET PATER FAMILIAS AD ELOHIM, *ad iudices.* Aliter sentit Isaacus Abarbanel, qui nomen Elohim Deo tribui ait, tamquam effectori, et productori omnium rerum, quod et pluribus demonstrat, quorum summa huc redit: primo, et proprie

de Deo dici, tamquam primo, et omnipotente auctore, et effectore omnium rerum; secundo, vel metaphorice, de Angelis, et corpobus caelestibus, per quae hominibus multa bona communicantur ex omnipotentia Elohim Dei benedicti.

IX. Dei quoque nomen est אל EL, quod a plerisque derivatur ab איל *fortitudo, robur*. Quare *el* proprie est *Deus fortis*. Hinc *Exod.* XV. 11. Moses ait: QUIS SICUT TU INTER FORTISSIMOS DOMINE? Et in *Ps.* LXXXIX. *v.* 7. QUIS SIMILIS EST DOMINO IN FILIIS ELIM? Et *Daniel.* XI. 36. EL ELIM FORTISSIMUS OMNIUM FORTIUM. Huiusmodi nomen saepe in compositione positum observamus in nominibus Angelorum, qui desinunt in *El*, ut in Michaël, Gabriel, Raphaël, *cet.* tum in nominibus hominum, ut Eleasar, Elisabeth, Israel, Bethuel, Immanuel. Simpliciter porro vel nomen proprium est, et Deo tribuitur, usurpaturque ut nomen *Elohim*, et promiscue dicitur EL ELOHIM in *Ps. L. v.* 6. vel adpellativum, et commune est tum hominibus, ut *Ezech. XXXI. v.* 11. quo loco Rex Babyloniae dicitur *El gojim.* i. e. *fortissimus gentium*, tum Angelis, ut *Exod. XV.* 11. Et *Isai XXXI.* 2.

X. Aliud nomen est שדי SCHADDAI, quod

saepe praecedenti nomini *El* iungitur, ut *Gen. XVIII.* 1. EGO SUM EL SCHADDAI et alibi. De nominis origine non constat apud veteres. Nonnulli putarunt, hoc nomine Deum indicari *Vastatorem*, quod Deus qua potentia omnia creavit, eademmet vastare omnia potest. Alii *victorem* dixerunt. Alii *Schaddai*, qui *sufficiens est*, sibi ipsi scilicet, nec essentiam suam, nec quidvis aliud ab alio accipit, et nullius indigus est. Alii rati sunt deduci posse a שדא *fudit*, *effudit*, quod Deus virtutes, potentias, ac vires in creaturas effundat. Quidquid sit, certe in hoc conveniunt significationes omnes, quod Deus a summa sua potentia dicatur *Schaddai*. Quamobrem plerique interpretes *Deum omnipotentem* reddiderunt. Atque id nomen neque Angelis, neque hominibus, nec idolis tribuitur in Vet. Test. sed soli Deo constanter.

XI. Divinum nomen praeterea est אדני ADONAI *Dominus*, quo Deum primus omnium Abraham compellavit *Gen. XV.* 2. ADONAI DOMINUS DEUS QUID DARES MIHI? Porro Deus iure ADONAI *Dominus* dicitur, quia ipse est Dominus universi mundi. Hinc in *Ps.* XCV. 7. DOMINUS TOTIUS TERRAE. Et *Luc. X.* 21. Κυριος του ουρανου και της γης: DOMINUS CAELI ET TERRAE. Et *Actor.*

10. Κυριος παντων DOMINUS OMNIUM. Non soli Deo tamen tribuitur, sed aliis quandoque. Verum absolute positum saepe de Deo usurpatur, et frequentissime nomini Tetragrammato iungitur, et ante, ut DOMINUS DEUS, et post, ut DEUS DOMINUS.

XII. Dicendum nunc aliquid de nomine צבאות TZEBAOTH, quod pluralis est numeri, et denotat *exercitus*; nec Deo tribuitur, nisi alicui divino nomini iunctum, ADONAI, vel ELOHIM, sic ut *Deus*, vel *Dominus exèrcituum* dicatur. Innumeros nimirum Deus habet exercitus, qui sub eius militant imperio, eosque fortissimos, et supernos, et infernos. Superni exercitus sunt Angelorum, et Spirituum acies. Hinc in *Ps.* CIII. BENEDICITE DOMINO OMNES EXERCITUS EIUS. Et *Lucae II.* 13. ET REPENTE ADFUIT CUM ANGELO MULTITUDO EXERCITUS CAELESTIS LAUDANTIUM DEUM. Sunt praeterea Dei exercitus, caelorum, astrorum, siderumque virtutes. Hinc *Gen.* 11. ET CONSUMMATI SUNT CAELUM ET TERRA, ET OMNIS EXERCITUS EORUM. Et *Deut.* IV. 19. NE QUANDO ELEVES OCULOS TUOS IN CAELUM, ET VIDEAS SOLEM, ET LUNAM, ET STELLAS OMNEM EXERCITUM CAELI. Et exercitus infernos quoque habet innumeros, quos inter gladius, famis,

pestis, qui in expeditionem ad mala gentium ulciscenda ducuntur; itemque nix, glacies, grando, ignis, venti, et alia hoc genus multa. Quin et filii Dei sunt exercitus ipsius, militantes in hac terra pro gloria Dei adversus Satanam, mundum, et carnem.

XIII. Postremum Dei nomen est עליון ELION quod et epithethon potius Dei est, quam nomen, idemque valet ac *excelsus*, Graecis υψιστος: Hinc frequentissime aliis Dei nominibus iungitur, ut EL ELION *Deus excelsus*, ADONAI ELION *Dominus excelsus*. Quod si absolute quandoque ponatur, semper Dei nomen aliquod subaudiendum. Verum συνεκδοχικως Deo tribuitur propter maiestatis celsitudinem, quod Deus solus et essentia, et maiestate, et gloria excelsissimus sit. Hinc in *Ps XCVII*. 9. QUIA TU DOMINE EXCELSUS ES SUPER OMNEM TERRAM, VALDE EXALTATUS SUPER OMNES DEOS. Sed haec de Hebraicis Altissimi Dei nominibus.

XIV. Praeterea Summum Numen Graeci θεον dixere, et Latini Deum, de cuiusmodi nominum originatione quamvis multi multa dixerint, nemo tamen rem acu tetigisse videtur. Innumera prope antiquorum, recentiorumque scriptorum opinamenta Cl. Jo: Gh. Vossius conrasit in *Etymologic.* quae ut ingenue fatear, ineptissima videntur. Quid tricis, et

ambagibus, et fallaciis opus in re tam luculenta? Sane Deum sic dictum, vel quocumque deposito pignore contendam, ab Aeolico Ζευς, unico elemento Z in D permutato, quod antiquis frequentissimum (11). Atque hac quidem origine nihil excogitari dignius posse censeo, siquidem Dei naturam adprime tangit. Ζευς enim a Ζαω *vivo* descendit, et solus Deus vere EST, vere VIVIT, qui vitam non aliunde habet, quam a se, ipse vero vitam cunctis animantibus tribuit. Quid si et Ζευς et *Deus* ambae voces ex Hebraeo profluxerint? sed non est huius loci plura disserere. Adpendicis loco dicam: sit illud nobis propositum, ut quidquid agamus, in nomine Dei agamus, ipse enim nobis retribuet abunde pro operibus nostris, quae sua quidem sunt, non nostra; sitque id nostrum frequentissimum effatum: SIT NOMEN DEI BENEDICTUM.

---

(11) Hinc ζαβαλλειν pro διαβαλλειν, et ζακοpος pro διακορος; sic Zabolum, et Diabolum; et apud Antoninum in *Itiner.* Hipponem Zarrhytum, et Diarrhytum promiscue usurpatum offendimus. Quid quod qui Dietarii in *Leg. Quaesitum* §. 42. *de instrum. legat.* dicuntur, iidem mox Zetarii a Jul. Paullo J. C. *Sent. tit. VII.* adpellantur. Eodem modo legisse memini in antiqua inscriptione ZEBUS pro DIEBUS, fortasse apud Cl. Mabillonium *in analect.*

Cap. IV.

DE DEI UNITATE

I. Ingentem Deorum turbam ab Oriente in universum paene orbem, per primaevos colonos, huc illuc palantes, permeasse, compertissima res omnibus est, atque abunde a a nobis alibi occupata. Mutata hinc, ut ita dicam, decora universae terrae facies, vanaeque factae sunt hominum cogitationes, quos morum perversitas, animique depravatio transversos adeo egit, ut mutaverint gloriam incorruptissimi Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium, quemadmodum dolet Apostolus Paullus *ad Rom. I.* 13.

II. Sed quid si ab ipsa vanitate, ab ipsis tenebris, et veritatem, et lucem, ad tuendam adversus perditissimos incredulos Divinitatis unitatem, eliciamus? Age quisquis es, universae veteris theologiae penetralia ingredere, et vide an non inter tot inferiores Deos unum summum clament Deum, veluti omnium principium. Audi Graecos, audi Romanos, qui licet innumeros prope Deos coluerint, unum tamen Iovem, maiestatis ergo, Deum, et patrem Deûmque, hominumque

adpellantes, in nomine quidem errarunt, sed de una potestate consenserunt (12).

(12) Haec una Patrum omnium sententia, Ethnicos nempe Iovem pro vero Deo accepisse. Confer in hanc rem Augustinum *Contra Grecon. Gram. lib.* 1. Tertullianum *ad Scapul. cap. IV.* Clementem Alex. *in Protreptic.* Lactantium *lib. IV. cap. IX.* Minucium Felic. *in Octav.* Iustinum *lib. de Monarch.* Athenagoram *in Legation.* Hinc in vetustis monumentis apud Muratorium *Thes. Insc. antiq. p.* CXXVI. 1. EX. PRAECEPTO I. O. M. AETERNI CONSERVATORI (sic) TOTIUS. POLI ET. NUMINI. PRAESTANTISSIMO. EXIBITORI. INVICTO. L. TETTIUS. HERMES EQ. R. *cet.* Et p. V. 6. IOVI. CONSERVATORI. OMNIUM. RERUM cet. Itemque p. MCMLXXVII. 13. et alibi frequentissime. Eodem modo in veteri inscriptione Palmyrae ex *Trans. Philos. Angl.* et apud Murat. p. XCVII. 2. ΔΙΙ ΥΨΙϹΤΩ ΜΕΓΙϹΤΩ ΚΑΙ ΕΠΗΚΟΩ ΒΩΛΑΝΟϹ *cet. Iovi altissimo, maximo, et exauditori, Bolanus cet.* Sed hoc ego addam amplius, non Ethnicos tantum, sed et ipsos primaevos Ecclesiae Christianos Iovem pro vero Deo citra omnem superstitionem dixisse. Exemplum habeo longe locupletissimum ex veteri Christiano marmore Gruteriano p. MDL. D. M. AURELIO. BALBO. VITA. INTEGERRIMO. MORIBUSQUE. ORNATO QUI. SE. QUIETIORIS. PERFECTIORISQUE. VITAE. DESIDERIO. EX. NEGO-

III. Quod si verum amamus, ne in nomine quidem errarunt. Iovis enim nomen nonnisi a Dei veri, ac summi nomine αρρητω illo, ac τετραγραμματω derivat, quod nunc

CIIS. CIVILIBUS. IN. QUIBUS. FUERAT. CUM. LAUDE. VERSATUS. IOVIS. OPT. MAX. BENEFICIO. DUCTO HIC. IN. SPE. RESURRECTIONIS. QUIESCIENTI. LOCUS. PUBLICE. DATUS EST. Quod vero ad veteres πολυθεας pertinet, sic habeto, semper eos a sapientioribus ethnicis ludibrio habitos, ac a Luciano potissimum in *Dialog. de sacrificiis*, et ab Euripide. Et quid non ait Plato de vanitate πολυθειας, quid non Seneca, quid non Tullius? Sed de Tullio loquimur? Is licet hinc inde pendisset, veritatem tamen scite callebat, atque Deorum futilitatem aperte adeo ostendit, ut non pauci ex Romanis mussitaverint, ut testis est Arnobius *Contr. Gent. statui debere per Senatum ut illa Ciceronis scripta penitus aboleantur.* Notum et cunctis reor celebre illud Pythagorae effatum, apud inferos torqueri Homerum propter fabulas de Diis inventas, ut refert Tullius Sed quid in re tam clara moror? Sane gentiles saniores unum fassi sunt Deum; quin, Hadriano Caesare imperante, scimus Ethnicos plures Deum invocaturos, hac voce usos: Κυριε ελεησον *domine miserere*, cuius rei, testis est Arrianus *lib.* XI. *cap.* VII. *dissert. ad Epict.* Τον θεον επικαλουμενοι δεομεθα αυτου Κυριε ελεησον.

IEHOVA pronuntiant, antiqui vero absque Masorethărum punctis, sive vocabulis IEVE pronuntiabant, unde posthac Iovi nomen factum. Revera hinc merito eos Apostolus redarguit *ad Rom. I.* quod veritatem Dei in iniustitia detinuerint, et QUUM DEUM AGNOVISSENT, NON SICUTI DEUM GLORIFICAVERINT. Verum quid dicam de sapientioribus Philosophis, qui summum Numen ipso proprio Dei vocabulo et invocabant, et venerabantur? *Deus est*, inquiebat Plato, *mundi parens, artifex animae, caelestium, terrestriumque fabricator.* Et luculentissime Pythagoras, cuius verba piaculum esset heic praeterire: *Sane quidem Deus unus est. Non ille autem, ut nonnulli sunt suspicati, extra mundum, sed ipse in se totus, in toto circulo omnes generationes inspiciens. saéculorum omnium temperatio, et virtutum, operumque eius omnium opifex, principium cunctorum unum, Caeli lumen, omnium parens, mens et animatio universorum, circulorum omnium motus.* Nihil dicam porro de poetis ipsis (13), quorum omnium instar sit Sophocles:

(13) Consulendi adprime Ss. Patres, Iustinus *in Cohortat. ad Graec.* Theodoretus *Contra*

Unus revera, unus est Deus,
Qui caelum condidit, et terram amplam,
Marisque fluctus, et ventorum impetus.

Graec. Orat. II. Clemens Alex. *lib.* VII. *Strom.* Cyrillus *lib.* I. *contr. Iul.* et Philo *De Mundi opific.* qui innumeros philosophorum, et poetarum centones in hanc rem adferunt. Symbolam et ego addam ex penu veterum inscriptionum. Perpulchra illa quidem, et primo loco producenda; quae Romae extat in villa Curtia ex Gasp. Oderico in *Coniect. de argent. Orcitirigis nummo p.* 84.

Θ K	i. e. *D. M.*
ΓΕΡΜΑΝΟc ΕΥΤ	*Germanus*
ΥΧΙΩΝΙ ΕΚ ΤΩΝ	*Eutichioni*
ΙΔΙΩΝ ΜΝΕΙΑC	*De suo Memoriae*
ΚΑΡΙΝ ΤΟΝ ΕΝ COI ΚΑΙ	*causa*
ΜΟΝΟΝ ΘΕΟΝ ΜΗ ΜΟΥΑΨΗ	*Vnum tibi*
	et solum Deum
	Ne me tetigeris

Sic apud Muratorium *Thes. Inscript. antiqu. p.* CVII. 4.

KYPI
XAIRE
DEO AMABILI
SACR
AELIA. EHORTE
FECIT

Κυρι χαιρε i e. *Domine salve*

Et apud Gruterum *p.* XVII. 7.

DEO MAG
NO AETER
N. L. STATIVS DI
ODORVS QUOT (sic)
SE PRAECIBVS (sic)
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M.

IV. Sed quam Dei unitatem ipsi Ethnici aperte praedicarunt, scelestissimus omnium denegavit Ponticus Marcio, Christiano nomine indignus, quem firmissimis argumentis exagitavit Tertullianus (14). At quemadmodum caecutientibus nihil est facilius, quam si unum quid videant, duo aut tria esse putent, ita et

---

Eodem modo ibid.	Ibidem *num.* 7
p. XXVII. 2.	DEO
DD.DEO.INVICTO	INVICTO
PRO SAL.MAXIMI	O. M.
ET. FIL.EIVS. TITV	Sic ibidem *p.*MIX.8.
LENVS. VRSINVS	DEO
	INVICTO
	L. D. S.

Praeclarissima at omnium est vetus lucerna, Pisauri apud Cl. Passerium, quae Deum Pantheum refert cum inscriptione:

DEO QUI EST
MAXIMUS

quam et Muratorius refert in *Thes. Inscr. antiq. p.* MCMLXXVII. 1. Sic et apud Gruterum in vetusto Transilvaniae lapide *p.* XVII. 9. DEO QVI EST MAXIMVS AVREL SEPTIMIVS ROMANVS MILES. *cet.*

(14) Confer Tertullian. *advers.* Marcionem; Athanas. *Contr. Gentes*; Epiphan. *Haer. XXIV.* Theodoretum. *Haeres. fab. lib. I. cap.* 24. et Eusebium *Hist. Eccl. lib.* IV. *cap.* XI.

Manichaeis quoque accidit, et Tritheitis, quorum illi duos Deos, hi tres effutiebant.

V. Unus attamen altissimus Dominus Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem; quod et ex Sacris Litteris luculentissime constat: *Deuter. VI.* 4. sic Moses: AUDI ISRAEL DOMINUS DEUS NOSTER DOMINUS UNUS EST. *Ibid XXXII.* 39. Deus ipse loquitur: VIDETE QUOD EGO SIM SOLUS, ET NON SIT ALIUS DEUS PRAETER ME. *Psalm. XVII.* 31. QUIS DEUS PRAETER DOMINUM, AUT QUIS DEUS PRAETER DEUM NOSTRUM, et Paullus ad *Ephes IV.* 5. UNUS DEUS ET PATER OMNIUM, QUI EST SUPER OMNES, ET PER OMNIA, ET SUPER OMNIA, ET IN OMNIBUS NOBIS (15).

---

(15) Quid si Deorum mentionem in S. Scripturis haberi sciolus aliquis nobis obiiciet? Sed compertissima res omnibus est, latissimo sensu ibi Deorum nomen accipi; nisi quod negotii aliquid interpretibus locus Divi Paulli facessit *ad* 1. *Cor.* VIII. 5. *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi) nobis tamen unus Deus pater. cet.* Sed res plana quidem, et aperta fiet, si verba, intra parenthesim conclusa, veteris alicuius poetae effatum credideris; quemadmodum pluribus id nobis

VI. Iam porro disputationis ordo postulat, ut ad Dei singularitatem propugnandam, quam ipsa humanae mentis acies adprime adtingit, firmiora heic proponamus argumenta, ex iis potissimum, quibus ipsi veteres Ecclesiae Patres usi sunt. Et primo, duo simul ut principia sint, fieri neutiquam potest. Duo enim si numerentur singularem numerum excedunt. Quum autem unicus ille ac primus numerus quaeratur, duo illa principia uni et supremo subiicientur, a quo, velut a caussa, reliqua duo pendeant. Neque enim duo illa, post singularem numerum, atque unicum primumque principium, sui esse caussa possunt ipsorum (16).

---

suadet clarissimus noster Alexius Symmachus Mazochius in *Spicil. Biblic.* qui Paulli locum sic emendavit: Και γαρ ειπερ εισι λεγόμενοι θεοι ειτε εν ουρανῳ ειτε επι της γης (ωσπερ το

Εισι θεοι πολλοι, και κυριοι εισι δε πολλοι) Αλλ' ημιν εις θεος ο Πατηρ *cet.* i. e. *Nam etsi sunt dicis caussa, Dii sive in Caelo, sive super terram, ut est illud* (poetae dictum):

Sunt Dj Caelestes multi, multique potes ... Dj At nobis tamen unus est Deus pater. cet. Hem quam belle per se fluit oratio. Videsis illum *loc. cit.*

(16) Ex Epiphanio *Advers. Cerdonian. Haeres.* 41. *n.* 2.

VII. Verum si duo essent Dii natura contrarii, vel contrarii essent voluntate, vel non; si voluntate contrarii non essent, proculdubio non essent contrarii natura, idem enim vellent, et operarentur, ac proinde uterque vel bonus esset, vel malus. Si vero voluntate contrarii essent, uterque hinc esset imperfectus, atque adeo neuter esset Deus. Nam si duo Dii voluntate contrarii éssent, uterque altero invito existeret, et operaretur: igitur aliquid contra eorum voluntatem contingeret, et adesset insuperabilis aliqua virtus, quam neuter vincere posset: neuter igitur suprema atque infinita praeditus esset potestate, et hinc neuter esset Deus.

VIII. Deus porro est ens perfectissimum. Sed summa perfectio non potest esse, nisi in eo, in quo totum est, non in eo, in quo pars exiqua de toto est. Deus vero si summe perfectus est, ut esse debet, non potést esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Atque hinc Deorum virtutes, et potestates infirmiores sint necesse est, quia tantum singulis deerit, quantum in ceteris fuerit (17).

---

(17) Confer Lactantium *lib.* 1. *cap.* 3. cuius est argumentum, quod et Auctor *lib. de Trinitate* sub Novatiani nomine adpositis verbis persequutus est.

IX. Deus est ens perfectissimum; ergo et summum magnum. Sed quae erit iam conditio ipsius summi magni, nisi ut illi nihil adaequetur, idest ut non sit aliud summum magnum. Quia si fuerit, adaequabitur, et si adaequabitur, non erit iam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dicam, lege, quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unum sit necesse est quod fuerit summum magnum: par non habendo, ne non sit summum magnum (18).

X. Deus praeterea est istius universitatis auctor; ergo unus est; nam non multiplex, sed unus mundus existit. Oporteret enim, si plures essent principes, plures quoque et diversos esse mundos; siquidem par non est, ut plures unum mundum aedificent. Imbecilles enim fuisse eius fabros arbitrandum foret, eo quod multorum opera ad unum opus requisita esset. Et insuper ad unumquemque eorum, a quibus factus esset mundus respiciens, diversas quoque motiones obiret. In ipsa autem diversitate confusio existeret, totiusque perturbatio (19).

---

(18) Ex Tertulliano *Advers. Marcion. lib.* I. Conferas et Anselmum *De Incarn. Verb. cap.* IV.

(19) Sic Athanasius *in Orat. Contr. Gent.* et Lactantius *in lib. de ira cap.* XI.

SCHOLION. *Si Deus unus est, qui beata queit esse solitudo?* Sic Hortensius apud Ciceronem disputat. Nugae! Deus unus, ut omnem complectitur perfectionem, ita est sua felicitate beatus: impiumque facinus foret Deum metiri vel hominum, vel Angelorum, vel ceterarum creaturarum modulo, quae aliorum consortio indigent, ut aliqua frui possent felicitate, atque beatitudine, quam ex seipsis natura imperfectis habere nequeunt.

XI. Sed iam nunc in Manichaeos incidimus, qui duos Deos, Augustino teste, alterum natura bonum, alterum vero malum, vel ideo invexerunt, quod mala in universo existant, quae nequeunt a Deo bono proficisci. Sed quid hoc cogitandi scelus est? quae stultitia (20)? si Deus est, bonus utique est, et

---

(20) ΔΙΑΤΡΙΒΗ
DE MALI ORIGINE.

Non unam in malorum origine investiganda Philosophi viam tenuerunt, utinam porro non pessimam. Sane Hereticorum plerique veterum in id conspirarunt, ut unum aliquod malorum principium adfirmarent esse, ab eo qui bonorum est auctor, plane diversum. Sic quidem Cerdo, sic Marcio, qui fortasse a Persis, et a Babyloniis tam crassum errorem hauserunt, qui duo esse

αυτογχθοτης ipsum bonum; si malus est, Deus non est. Egregie hinc Nyssenus *Ort. fid. lib.*

---

principia rerum credebant, bonum unum, alterum malum, quorum primum *OROMAZEN*, i. e. ignem splendentem dicebant, ARIMANEM alterum, fortasse ab *arim* astutum, quo epitheto serpens adficitur in *Genes. III.* 1. Confer quae de his habet Thom. Hyde *De Relig. Persarum cap.* IX. Atque his quidem et Manichaei successere, qui item, ut Augustinus ait, *duo principia inter se diversa, atque adversa composuerunt, duasque naturas, atque substantias, boni scilicet, et mali.* Sed quae sunt mala huius mundi, quae Divinae bonitati adversantur? Si de malo metaphysico sermo sit, id revera non dari, quisque sanus intelliget, nisi terminis ludere prope velit. Nam quod malum dicunt metaphysicum, limitatio nempe, et infinitae perfectionis defectus, est ita creaturis essentiale, ut nec a Deo potuerit id impediri; secus enim ab Ente Increato non distingueretur ens creatum: absurdumque sequeretur, non adhuc certe auditum, ens nempe finitum infinitum. Quum igitur entis essentia sit absolute necessaria, creata res sine limitatione, quae entis creati essentia est, existere nequit. Sed porro si omne ens creatum bonum est, eius etiam essentia, quae limitatio est, bona erit. Quid vero de malo dicam physico? Sane hominem ad veram felicitatem consequendam a Deo creatum esse, nemo erit inficiaturus. At finis bonus est, et ita bonus, quo nihil

IV. cap. XIV. ο αγαθος, και παναγαθος, και υπεραγαθος θεος, ο ολος ων αγαθοτης: *Bonus, et*

---

melius; media igitur omnia, quae ad bonum, optabilemque finem tendunt, nonnisi bona esse queunt. Aegritudines hinc, dolores, et alia hoc genus, relate quamvis ad physicum hominis statum mala physica dicuntur, quum tamen ad nostram constituendam felicitatem conspirent, profecto Dei bonitati, et beneficentiae non tantum non repugnant, immo Dei boni argumenta sunt luculentissima. Per afflictiones enim huius mundi, homo ab illecebris abstractus, temporariam, adparentemque felicitatem despiciens, atque conculcans, ad summam, aeternamque beatitatem viam sibi sternit munitissimam. At unum iam nunc restat malum morale, cuius auctorem perditissimi quidam homines Deum clamant. Sed in tanta peste pestilentissimus Calvinus desiderabatur, qui ea *animi saevitia*, quam ei non diversae furfuris homo Volterius exprobrat, Deum mali, atque peccati caussam efficientem, impellentem nimirum, moventem, et excitantem per summum delirium constituit. Sic enim is *Lib I. Instit. cap.* XVIII. *Deo volente, ac iubente hominem excaecari, qui mox caecitatis suae poenas daturus est*; et paullo post: *Deum malorum effectorem esse inspirando, et agendo*; suamque hinc mentem hisce explicat verbis: *Quantum ad arcanos motus spectet, quod de corde Regis praedicat Salomon, flecti huc, vel*

*

omnino bonus, *et superbonus Deus*, *totus existens bonitas*. Et Augustinus *Epist. LIV*. *Nul-*

---

illuc, *prout Deo visum est*, *ad totum certe humanum genus extenditur*; *tantumque valet*, *ac si dixisset*, *quidquid animis concipimus*, *arcana Dei inspiratione dirigi ad finem suum*. Et mox subdit: *certa destinatione Dei fuisse impulsos homines ad exercenda sua iudicia*, *h. e. male facta*. Quid quod et antiquos Ecclesiae Patres villicaverat perversus homo ibidem *cap. IV*. quod religiosius plerumque simplicem veritatis confessionem ea in re reformidabant, ne Gentilibus ansam praeberent de operibus Dei obloquendi. At o mentem hominis iniquam, iudicium perversum! Verum ubi invecta iam per Calvinum, et Lutherum cogitandi libertas, non defuere qui veterum atheorum argumenta revocarint. Petrus Bayleus potissimum, qui in *Respons. ad Quaesit. Provincial.* axiomata nonnulla philosophica ad Dei bonitatem labefactandam producit, ex quo porro factum, ut ipse Rousseaus (noscis ne hominem?) in *Respons.* 1. *ad Alembertum* adfirmarit, philosophos eo temeritatis devenisse, ut Dei consilia corrigant, quin et Deo leges praescribant, et fines statuant. Sed omne iniquorum aedificium vel ab ipsis fundamentis levi brachio supra deiecimus *in artic*. XI. *et seq*. Nequeo me continere quin Calvino irascar. Qua nempe facie tu homo impudens adserere audes, *Deo volente*, *et iubente* mala moralia ab hominibus per-

Nullius enim boni participatione bonus est; quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi

---

petrari, ut supplicia subeant aeterna? Sane beneficentissimus Deus hominem intellectu ad cognoscendum, voluntate ad amandum, libertate ad eligendum verum bonum instruxit; quin et sanctissimas leges, et praemia, et poenas proposuit, quibus ad bonum alliceretur, a malo vero absterreretur. Quod si homo et intellectu, et voluntate, et libertate abutitur, et leges negligit, et nec praemio, nec poena motus iusque fasque turbat, malumque patrat, non Dei, sed ipsius hominis tota est culpa: Id sane sensit et Rousseaus ipse *lett. de J. J. Rousseau a M. de Voltaire*: *malorum moralium non alibi quaerendam esse originem, quam in homine libero.* Hinc audi, Calvine, Paullum Apostolum, cuius litteras ad Romanos Domini spiritu dictante conscriptas non inficiaris (*ad Rom. cap. III.* 5) *Si iniquitas nostra Dei iniustitiam testetur, quid dicemus? num iniquus, et iniustus Deus, qui infert iram? numquam id fiat: quomodo enim iudicabit Deus mundum?* Quid at, Calvine, mali moralis nomine accipis, nisi id quod contra naturam est? certe in hoc nobiscum convenis: quod si ratum habes, cur tibi hinc suades, Deum, qui naturae auctor est, legumque vindex, aliquid contra naturam, et leges moliri? Non Deus sibimet ipse

est. Homo autem quum bonus est, ab illo bonus est, quod a seipso bonus esse non po-

---

adversatur, qui sapiens est, et immutabilis est, sed tu tibi, Calvine, qui contra tuae conscientiae stimulos agis. Verum Iacobi Apostoli auctoritatem heic interponere quoque libet (*Epist. cap. II.*) *Deus malis ne sollicitatur quidem, et ad malum ipse pellicit neminem*, quod et Athenagoras in *Apolog.* testatur: *ad id quod praeter naturam est, impellere non est Dei.* Sed mirum id profecto, quod Augustinum pro caussa sua invocet Calvinus. Quid? nobisne, an sibimet ipse imponit? certe ei adversatur Augustinus, qui *detestanda*, ait, *et abominanda opinio est, quae Deum cuiusquam malae voluntatis, malae actionis credit auctorem, cuius praedestinatio numquam extra iustitiam est.* Non igitur Deus peccati auctor; quod si id permittit, nonnisi ideo permittere dicitur, quod sapientiae suae rationes sequens, humanam conservat libertatem: eodem nempe modo, quo Tribunus aliquis, cuius custodiae statio quaedam commissa, si stationem suam periculi tempore non desereret, ut duorum in urbe militum in mutuam caedem ruentium rixam compesceret, homicidium non videretur voluisse, sed permisisse. Non intelligis haec Calvine? Nec est porro quod Bayleus quaerat, cur gratia efficaci Deus homines non roboraverit, et ita a lapsu immunes praestiterit? Si enim *gratia*, gratis igitur a Deo datur non

test. Et lib. VIII. de Trinit. cap. III. Quid plura, et plura? bonum hoc, et bo-

---

iure aliquo, non debito, non necessitate, et si cui eam denegat, nullam ei iniuriam infert, nec ideo malus dicendus est. Quia tamen liberalissimus Deus gratiam unicuique sufficientem, et auxilia omnia, quibus agere possit, liberaliter concedit, multo magis et eius infinita bonitas elucet, et hominis perversa malitia manifestatur, qui pessumdata gratia, et pessum quoque divinis habitis auxiliis, poenae obviam ipse pedibus suis ivit. Sed permittit insuper Deus malum propter innumera bona, quae ex permissione mali divina elicit sapientia, ut Augustinus ait in *Enchir. cap. XI. Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus; ut bene faceret etiam de malis.* Sed insurgunt heic contra nos Calviniani, et Guntlerus potissimum, qui in *Institution. Theolog.* pleraque S. Scripturae loca, quae caussae suae facere videntur, nobis opponit. Nimirum. *Isaiae cap. VI.* QUARE ERRARE NOS FECISTI DOMINE DE VIA TUA, ET INDURASTI COR NOSTRUM: Et *Exodi VII.* Deus inquit: EGO INDURABO COR PHARAONIS, et *Reg. II.* 16. David de Semei ait: DOMINUS PRAECEPIT EI, UT MALEDICERET MIHI. Et Petrus *Act. Apost.* 14. CONVENERUNT ADVERSUS

num illud? tolle hoc, et illud, et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis,

---

PUERUM SANCTUM TUUM IESUM HERODES, ET PONTIUS PILATUS CUM GENTIBUS ET POPULIS ISRAEL FACERE QUAE MANUS TUA, ET CONSILIUM TUUM DECREVERUNT FIERI. Quid at vis, Guntlere, isto tuo festivo adparatu? piget enim ex animo tam tibi curtam ingenii supellectilem inesse. Quaecumque enim in Sacris Libris de Deo excaecante dicuntur, et obdurante, et in errorem inducente, vel caecus videt, non esse de productione malitiae intelligenda, sed de subtractione misericordiae. Disce hinc ex Augustino *lib.* I. *Simplician. qu.* 2. Deum homines excaecare, atque obdurare *non impertiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam.* Rem iam conclamatam sentiunt et Epicurei omnes, et Calviniani, et Bayleus, et auctor *du systeme de la Nature part. II. chap.* 3. unumque respondent: *quaenam iustitiae ratio est, hominem pro parvo, momentaneoque peccato aeternum cruciari debere?* Cui paucis satisfaciamus. Deus enim triplicem in mundo constituit ordinem, physicum nempe, metaphysicum, et morale, quorum conservationi physicis, metaphysicis, moralibusque legibus prospexit, sanctione insuper addita, ut qui ordinem turbaret, ab ordine ipso tamdiu puniretur, quamdiu perturbationis duraret effectus. Sane physicus, metaphy-

non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.

---

sicusque ordo ab homine turbari non potest, moralis autem, moralibus violatis legibus, ab homine turbatur; tamdiu ergo poenae addicendus peccator, quamdiu ordinis moralis turbatio manet: Sed homo vi naturae suae restituendo hujusmodi ordini ineptus est, nec efficere valet, ut factum sit infectum; ordinis ergo perversio aeternum durabit, atque adeo poena. Verum beneficentissimus Deus, ut bonitatem suam in hominem effunderet media quoque, ad restituendum ordinem apta homini suppeditavit, ut si iis recte utatur, adprime ordo restitui possit. Quod si homo in adversum connititur, et cupiditatibus suis serviens, et media ab optimo Deo praestita negligens, ordinem moralem in perturbatione illa relinquat, quaenam iustitiae ratio, dicant quaeso scioli nostri vere furciferi, non exigit, ut aeternum aeternae perversionis supplicium luant? At praeterea ab ordine ipso poena ipsa irrogatur, siquidem homo ad summum bonum natura ordinatus, quemadmodum si nec ordinem, nec leges violasset summo illo bono dignus evasisset, ita turbato ordine, legibusque violatis, et aeterno bono indignus, et aeterno malo dignus factus est. Haec quum ita sint, videat quisque, nullum proficere sophisma, quo labefactari possit Altissimi Dei bonitas. Confer sis tamen Augustinum prae-

XII. Sed quid est, quod in Summi Boni imperio malum excreverit? Heu vos miseros Manichaeos! Quae ista mala sunt? an quae fluxa sunt, et mutabilia? sed quae eunt, et intereunt, quae decedunt, et succedunt, quae labuntur, et dilabuntur, quae fluxa sunt, et mutabilia, eo ipso bona sunt. Mala vero nobis stultis videntur, quia partes quaedam quibusdam non congruunt, verum quae non congruunt uni parti, congruunt aliis, congruunt universo, et ideo bona sunt. Bonum est, et pulcherrimum carmen, quod totum, et partibus suis omnibus, numerisque absolutum audimus. Sed universi huius cor-

---

clare de hoc argumento disputantem in *De Civit. Dei lib. XXI. cap.* 11. Sed antequam manum de tabula, illud addam, quod iterum, iterumque inculcavimus: procul sit a nobis tantum facinus, ut nostrarum idearum modulo Dei bonitatem metiamur, quam veritatem et impiissimus homo Bayleus fassus est. (*Oeuv. de Bayle tom. III. p* 997.) *Nos idées ne peuvent point être la mesure commune de la bontè et de la saintetè divine : n'y ayant point de proportion entre le fini et l'infini, il ne faut pas se permettre de mesurer à la même aune la conduite de Dieu, et la conduite des hommes.*

poreî concentum audire nemini mortalium fas est; ideoque partem eius truncam dumtaxat brevi suae vitae curriculo quisque decerpens, de pulchritudine eius, et bonitate, haud satis quantoque iustam depromit sententiam. *Tantum dedisti eis* (ait Augustinus *Confes. lib. IV. cap. X.*) *quia partes sunt rerum, quae non sunt omnes simul, sed decedendo, et succedendo totum agunt universum, cuius partes sunt; Ecce sic peragitur et sermo noster per signa sonantia.* Verum non Opificis Dei, sed nostra culpa omnis est, qui ex immortalibus per peccatum mortales evasimus; et per peccatum in partem universi huius deiecti, defixique sumus.

XIII. Quaecumque igitur sunt, bona sunt, malumque in natura si quod est, non est substantia; quid est enim malum, nisi privatio boni? non est itaque ens, sed nihilum; nec ex Deo est, sed ex nihilo; nec ex nihilo est, nisi permittente Deo, nec a Deo permittitur, nisi ad maius bonum. At urget Manichaeos Augustinus *de nat. Boni cap. XXXI.* quandoquidem summum illud mali principium, summi boni opibus suffarcinatum constituebant. Quid? non enim potuerunt imaginarium Deum non sine bonis comminisci! Adeo usque nempe nihilum est per sese

malum, et malum nihil est! *Ita errantes Manichaei, ita delirantes, imo vero ita insanientes, ut non videant, in eo, quod dicunt naturam summi mali, ponere se tanta bona, ubi ponant vitam, potentiam, salutem, memoriam, intellectum, virtutem, copiam, sensum, lumen, suavitatem, mensuram, numerum, pacem, modum, speciem, ordinem.*

SCHOLION. Substantia mali nulla est, et ex nihilo est. Quod si substantia foret, aut incorruptibilis esset, aut corruptibilis; si incorruptibilis, ergo summe bona; si vero corruptibilis, corrumpi, ac vitiari non posset, nisi bona esset. Ergo substantia mali nulla est. Sic Augustinus *Conf. lib. VII. cap. XII.* Substantia porro non est, quia privatio boni est. Hinc Ioannes Damascenus *Lib. II. de Fide cap. IV. Neque aliud quidquam est malum, quam boni privatio.* Et Ambrosius *Lib. de Isaac, et Anima cap. VII. quid est aliud, quód malum dicitur, quam privatio boni?* Et uno ore Catholicae Ecclesiae Patres omnes. Quamobrem dicendum cum Athanasio *Orat. Contr. Gentes. Necessum est, veritatem Ecclesiastici Dogmatis explendescere: nullum malum nec a Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse: neque ullam esse ejus substantiam.*

XIV. Verum hinc insani instant Manichaei, infamis illinc Calvinus, et nostrorum temporum immane scelus illud Volterius, qui Deum moralis mali auctorem impio ore clamant. Paucis opus. Non Deus malorum auctor est, sed homo. Peccat homo vel ideo, quia summae, et infinitae perfectionis expers est; peccat insuper, quia liber est, eaque praeditus libertate, ut a legibus discedere possit, si velit. At quid est malum morale, nisi a legibus discedere? Non igitur Deus caussa malorum est, sed ipse homo, qui per libertatem a voluntate Dei, et a lege deficit, quae per rectam rationem, et per Prophetas perlata est.

XV. Porro quanta sit beneficentissimi Dei bonitas, vel ex ipso morali malo paullisper adverte. Vnde homini libertas nisi a Deo? Quantum bonum libertas sit, quis vel caecus non videt. Ipsa summi Dei imperium quodammodo aemulatur, ipsa servitutem, quae creaturae propria dos est, transgreditur, ipsa non servis tantum naturis, sed et liberis imperat, ipsa sub Deo dominatur. Quid esset homo sine libertate, sine libero arbitrio? Haec non advertere simulat Calvinus, haec non intelligit Volterius, quibus illud Basilii convenit: *Quisquis conditorem reprehendit, quod non naturaliter peccati nos expertes creaverit nihil aliud, nisi rationis expertem*

naturam rationali praefert , et immobilem , atque impulsam , ac appetitione carentem ei, quae electione , et actione praedita est.

XVI. At ineffabilis bonitatis Dei et aliud habes luculentissimum testimonium , quod non tantum liberum condidit hominem , sed et libero homini leges imposuit, praemia proposuit , et poenas intentavit , eique ostendit quanta felicitas sit ad eum accedere , quanta miseria ab eo recedere. Peccat attamen homo, sed quid ? Deus peccati auctor est? At insanissimus usque et usque philosophus insurgit inquiens : aut Deus peccatum non praevidit , vel si praevidit noluit id impedire , vel praevidit , voluit , et non potuit. Sed hem quam stulta vox ! Deus qui hominem condidit , praevidit certe in quod homo lapsurus erat , et noluit tamen id impedire , quum posset , ut ipsius hominis libertas elucesceret , et bonum sponte sectando , et malum sponte vitando. Satis enim erat homini , ut Tertullianus ait *Contra Marcion. cap. VI. et malum demonstrasse quod odisset , et vires praebuisse , quibus illud vitare posset , si vellet.* Ipse igitur homo malus fuit , qui bona voluntate abuti voluit , divinaque gratia contempta , sibi complacere maluit , quam Deo.

XVII. Bonitatem Dei ante peccatum advertisti , adverte iam clare nunc illam et post

peccatum in ipsa iustitia. *Apud Deum meum* (aiebat Tertullianus in *Lib. de Resur. Carnis*) *discis*, *tam optimum*, *quam et iustum. Nisi enim homo deliquisset*, *optimum solummodo Deum nosset ex naturae proprietate. At nunc etiam iustum eum patitur*, *ex caussae suae necessitate* ; *tamen et hoc ipso optimum*, *dum et iustum* . . , *Prior bonitas Dei secundum naturam*, *severitas posterior secundum caussam. Illa ingenita*, *haec accidens* ; *illa propria*, *haec accommodata*, *illa edita*, *haec adhibita*. cet. Et Chrysostomus *Homil. VII. ad pop. Ant. Deus quum nullis sit affectibus abnoxius*, *sive benefaciat*, *sive puniat*, *similiter est bonus* ; *nec regno minus comminatio gehennae bonitatem ipsius demonstrat. Quo pacto id fiat*, *dicam. Nisi gehennam minatus fuisset*, *nisi poenam praeparasset*, *non multi regnum adsequi potuissent*: *Non enim ita bonorum promissio ad virtutem multos evocat* ; *ut malorum intentatio timore compellit*, *et ad animae curam excitat. Itaque etsi caelorum regno gehenna contraria est*, *ad unum tamen ambo finem respiciunt*, *hominum salutem* : *illud quidem ad se alliciens*, *haec autem ad illud compellens* (21).

(21) Plura de hoc argumento inferne dabimus,

CAP. V.

DE DEI PROPRIETATIBUS.

I. Quum unius sit Divinae sapientiae, atque omnipotentiae vis illa infinita seipsam plenissime, unoque intuitu intelligendi, neque ad istam intelligentiae magnitudinem humana umquam imbecillitas possit adspirare, necessum sane est, ut in Deo summo, et immenso varia concipiamus, ex quibus mens ad conceptum infinitae illius perfectionis adsurgat.

II. Quamobrem Dei proprietates, sive quae adtributa Theologi dixere, nunc ex instituto persequimur, quae, Basilio auctore, nonnisi formae quaedam sunt, quae circa Dei substantiam concipiuntur. Has Graeci Patres, et Gregorius Nyssenus praesertim *αξιωματα*, *αξιας*, *επινοιας*, *ενεργειας*, *νοηματα* et *επιδευματα* adpellarunt. Latini vero *dignitates*, *characteres*, *propria studia* nuncuparunt, et Tertullianus (*lib. I. Contra Marcion.*) *naturales proprietates*; Anselmus vero: *Bona Dei*, *Deique perfectiones*.

III. Huiusmodi porro Divina adtributa in tres potissimum classes dispesci solent,

---

potissimum ubi de Divina voluntate, et de reprobatione sermo erit.

quarum alia divinae maiestatis demonstrativa sunt, nempe *unitas*, *simplicitas*, *immensitas*, *aeternitas*, *immutabilitas*; alia vero relativa, quae quidem vel ad Divinas Personas referuntur, nimirum *paternitas*, *filiatio*, et *spiratio*, de quibus alibi sermo, vel ad res creatas, cuiusmodi sunt *visibilitas*, *scientia*, *voluntas*, *providentia*, *praedestinatio*, et *reprobatio*.

IV. Proprietates autem omnes non reipsa, sed nostro concipiendi modo, tum inter se, tum ab ipsa natura Divina, sive ab essentia distinguuntur (22). Quare Graeci vetustissimi

(22) Non defuere qui proprietates divinas ne cogitatione quidem inter se invicem, et a natura divina differre deblaterarint. In hunc censum Aëtius venit, Diaconus natione Antiochenus, secta Arianus, et Eunomius Cappadox, Arii discipulus, Aëtii socius, et Episcopus Ciricenus, a quibus Aëtiani, et Eunomiani anno plus minus CCCL. emanarunt. Sed pessimum sane consilium eo sub errore latuisse S. Gregorius Nyssenus testatur in *Orat. XII. advers. Eunomium*. Nimirum Filii divinitatem vel hinc evertere conabantur Eunomiani, qui hoc ferme modo edisserebant: Innascibilitas, et divinitas idem est, ac proinde ne cogitatione quidem inter se invicem distingui possunt; sed Filius non habet innascibilitatem, quippe genitus, igitur nec divinitatem habet, et Deus

Patres conceptiones mentis nostrae easdem dixere. Atque hoc ipsum ad perfectam Dei uni-

---

non est. Sed stulti falso principio laborabant. Confer S. Basilium *Lib. I. contr. Eunomium*; Nyssenum *Orat. XII. cit.* et Epiphanium *Haeres. LXXVI.*

In adversum scopulum inciderunt alii. Divinas enim proprietates reipsa tum inter se invicem, tum ab essentia differre sibi primum suasit Gilbertus Porretanus, Pictaviensis Episcopus, qui floruit anno CXIV. vir quidem doctus, et pius, sed dialecticus, et cavillosus. Brevi tamen resipuit, et Remensis Synodi auctoritate, et fulmineo Bernardi ore compulsus. Conferas Eminentissimum Baronium in *Annal. Ecclesiast. ad an. MCXLVII.* Verum non defuit, qui Gilbertum ab huiusmodi accusatione vindicaret, eiusque verba in Orthodoxum sensum detorqueret. Otho quidem Episcopus Frisingensis, vir maiorum gloria, ac multa eruditione, et eximia sanctitate clarus, Gilbertum in errore haud mansisse auctor est *Lib. 1. de Gestis Friderici Imper cap. LVIII.* Sed ipsemet demum dubius haesit Otho, vehementiusne Gilbertum Bernardus insectatus fuerit, an vero astutius Pontificem Conciliumque Gilbertus eluserit, Ecclesiaeque iudicium evaserit. Quidquid sit, Bernardo potius adsentimur, qui Synodo Remis habito intererat, quam absenti Othoni, et antiquae cum Porretano amicitiae nonnihil indulgenti. Audiamus Bernardum *Serm. LXXX in Cantic. Recedant a nobis, charissimi, recedant a nobis no-*

tatem pertinet, quod ea quae sunt varia et multipartita in aliis, in ipso sint unum.

V. Quemadmodum vero inter essentiam, et proprietates, atque inter ipsas proprietates, sive adtributa, distinctio nonnisi in nostra mente, et in nostra cogitatione est; ita et distinctarum proprietatum coagmentatio, quam nemo, nisi stultus, compositionem diceret,

---

velli, non dialectici, sed haeretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam qua sapiens, et iustitiam, qua iustus, postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate inquiunt, Deus est, sed Divinitas Deus non est. cet. Sic et in *Lib. III. de Consider. cap. II.* cui adprime consentit Gaufridus monachus Clarevallensis, qui Remensi Concilio adversus Gilbertum coacto interfuit. Confer et Matthaeum Paris *Hist. Anglic. ad an. MCIC.* Gilberto Socinianos addas, illam nempe Laelii, et Fausti Socini nefandam prolem qui eamdem viam tenuere. Videsis Abrah. Calov. in *Script. Antisocinian. Part. II. tom.* 2. Adde et Palamitas, graeculos nempe monachos, Gregorii Palamae, qui primum in Oriente monachus, postea episcopus Thessalonicensis, asseclas, qui operationes omnes ab ipsa natura divina distinxerunt, teste Nicephoro Gregora *tom. III. Biblioth. Patr.* Consule de his, si vacat, Rainaldum in *Annalibus Ecclesiast.*

*

nonnisi in nostra mente habetur. Nam in Deo ipsum unitatis fundamentum omnia complectitur, et quidquid in Deo est, unum est, et incompositum. Quare S. Bernardus *lib. V. de Consid. Multa dicuntur esse in Deo, et quidem sane, catholiceque, sed multa unum alioquin si diversa putamus, non quaternitatem habemus, sed centenitatem.* Et Gregorius Nyssenus *Orat. X. in Cantic. Deus est ille ipse, qui prorsus est sapientia, et ipsa veritas, et singillatim omnia.* Deus enim hoc est quod habet; aeternitatem quippe habet, sed ipse est aeternitas; lucem habet, sed lux sua ipse est, nec est in eo aliud esse, et aliud habere.

VI. Quod ipsum apertissime ostendit S. Augustinus *lib. XV. de Trinit. cap. V. Una, eademque res dicitur, sive dicatur aeternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis; itemque cum dicitur vivens, et intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam, qua esset sapiens, sed ipse sapientia est. Quae iustitia, ipsa bonitas, et quae bonitas, ipsa beatitudo. Proinde si dicamus, aeternus, immortalis, incorruptibilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum, quod*

posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero huius substantiae qualitates; sed non ita est in illa ineffabili, simplicique natura; quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum; absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam.

VII. Qui fiat vero, ut quae unum in Deo sunt *reipsa*, diversa et distincta sint *ratione*, mirum quantum S. Gregorius Nyssenus explicat *Orat. XII. contr. Eunomium*: *Quis ita stupidus, et attonitus, ut ignoret, quod divina quidem natura secundum essentiam quidquid est, una est, simplex, et uniformis, et incomposita, et quae nullo modo in aliqua concretione cernatur? Humana autem anima humi iacens, et in hac terrena vita obruta, quia non possit, quod quaeritur, clare, et dilucide perspicere, multis notitiis ineffabilem naturam, multis modis, et multifariam expetit, non una aliqua intelligentia quod abstrusum est venans.*

VIII. Quid porro de divinis proprietatibus fides doceat, mox singulatim explicabimus. Rem compendiaria oratione persequutus est Minucius Felix *in Octavio*, cuius haec sunt

verba, quae praeludii ergo huc transferre non abs re erit: « Deus nec principium habet, nec terminum. Nativitatem omnibus praestat, sibi perpetuitatem. Ante mundum fuit sibi ipse pro mundo. Universa quaecumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, nec aestimari, sensibus maior est, infinitus, immensus, et soli sibi tantus quantus est notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est: et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio. Magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit ».

CAP. VI.

DE SIMPLICITATE DEI

I. Vbi primum ex intelligibilium pulchritudine in corporalium rerum faeces per peccatum delapsus est homo, tenebrarum umbris oblimatos adeo gessit oculos, mentemque simul ita sensit oppressam; ut nihil spirituale intellexerit amplius, nihil nisi corporeum cogitare valuerit. Hinc, vel quum de ipso Deo cogitamus, qui simplex est, et incorporeus,

nescio quam intra nos luctantem idololatriam poena iuste nobis ipsis irrogatam pati videmur, quae mille phantasmatum procellis, et mille corporalium simulacrorum umbris totam mentis serenitatem obnubilare pertentat. Sed istam idololatriam in nobis ex sensibilium consuetudine constitutam, ad Deum accedentes ex cordibus nostris exscindamus.

II. Simplicem enim esse Deum, et incorporeum, nedum sancta Christiana fides, sed ipsa quoque naturalis ratio docet, quae id esse Deo tribuendum clamat, quo nihil maius, et praestantius, et perfectius concipi umquam possit (23). Praeclarissimum de hac re Filii,

(23) Uno ducti naturali lumine Dei simplicitatem antiqui plerique Philosophi vindicarunt. Sane omnium dignus est qui audiatur Plotinus *Ennead. II. lib. IX. cap. I. Constat ipsius boni naturam esse simplicem, atque primam. Nisi enim prima esset, simplex esse non posset. Constat et in seipsa nihil habere, sed esse unum dumtaxat. Primum dicitur, quoniam simplicissimum, item seipso sufficiens, quia non constat ex pluribus; alioqui in ea a quibus componitur referretur.* Quod et alibi repetit *Ennead V. lib. V. cap. X. Vitae sapientis, intellectualisque caussa est. Deus, quippe cum sit ipsa potestas, a qua vita, intellectusque nascitur; nempe essentiae entisque est auctor, quoniam est ipsum unum. Est enim simplex, est et primum,*

qui a Patre missus, testimonium habemus, qui Samaritanam mulierem edocturus, inquit: SPIRITUS EST DEUS, ET EOS QUI ADORANT EUM, IN SPIRITU, ET VERITATE OPORTET ADORARE. Et Paullus Apostolus *Ep. II. ad Corinthios Cap. III.* 17. SPIRITUS EST DEUS; sed eccur Spiritus, nisi prorsus simplex, et ab omni materiae concretione immunis? Hinc et ex eodem Apostolo *Act. XVII.* 29. NON DEBEMUS AESTIMARE AURO, AUT ARGENTO, AUT LAPIDI SCULPTURAE, ARTIS ET COGITATIONIS HOMINIS DIVINUM ESSE SIMILE. Quod et Ecclesiae iudicio definitum in Concilio Lateranensi IV. *una est Dei essentia, substantia, sive natura, simplex omnino.* Sic demum ex Ecclesiae Patrum, et Graecorum, et Latinorum (24) consensu.

---

quoniam est principium, ab eo namque omnia profluunt. Jamblicus quoque *in Protreptico* accedit, qui Pythagoreum illud effatum: *Dei formam, et imaginem annulo ne insculpito*, sic interpretatur: *philosophare, et ante omnia divinitatem ducito incorpoream.* Conferas et Alcinoum *de doctrin. Platon. cap. X.* Proclum *lib. II. cap. IX. et X.* et Apuleium *de Deo Socratis.* Plura huiusmodi habes apud Clementem Alex. *Lib. V. Strom.* Augustinum *Lib. VIII. De Civ. Dei cap. IX.* Lactantium *De ira Dei.*

(24) Quid at faciamus Volterio, qui quamplu-

III. Nemo sanus enim, cui imperfectiones omnes, quae corpoream naturam consequun-

---

res primorum saeculorum Patres Deum corporeum credidisse deblateravit? Audi eum *lettre XIII. sur M. Loke*: *quant aux Peres de l' Eglise, plusieurs dans les premiers siecles, plusieurs, dis je, ont cru Dieu corporel.* Sed heu te homuncionem mendacissimum! ubi sunt isti patres, qui tale somnium somniarunt? Una enim omnium Ecclesiae Patrum et Graecorum, et Latinorum vox est, Deum incorporeum esse. Ita Origenes *Lib. II. de Princip. cap.* 1. Methodius Tyrius apud Photium *Biblioth. cod.* 234. Gregorius Nazianzenus in *Orat. XXXIV.* nec nisi, ut haereticos, qui aliter sentiunt habuit; S. Augustinus millies, et *Lib. XII. de Trinit. cap. VII.* itemque *Lib. de Haeres. haer. L. et LXXXVI.* S. Leo Magnus *Serm. IX. in Epiph.* Hieronym. *Epist. LXI. ad Pammach.* Theodoretus *Lib. IV. Haeret. fabul. cap. X.* Cassianus *Collat. X. cap.* 2. S. Joannes Damascenus, Isidorus, Rhabanus, ceterique omnes. Nec enim tu, Volteri, in alios intendere digitum potes, quam in Septimium Florentem Tertullianum, et in S. Epiphanium. Age vero, rem sedulo inquiramus. Sane Tertullianum ab Augustino accusatum *Lib. X. de Genes. cap. XXV.* haud inficior, quod non vice simplici Deum corpus esse scripserit. Verum pluribus eumdem excusat in *Lib. de Haeres. cap. LXXXVI.* nec haereticum hinc eum audet appellare: nam *potuit propterea putari corpus Deum di-*

tur, exploratae sint, corporeum Deum esse adfirmabit. Apage, exuamus indumentum

---

cere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animae qualitas, sed ubique totus. Sed porro in ea ego sententia constantissimus sum, doctissimum Patrem, nonnisi in modo loquendi peccasse, ex quo scandali aliquid dimanari poterat, non vero contra divinae simplicitatis dogma. Et re quidem vera audiamus parumper ipsum Tertullianum alibi loquentem. Sane Deum partes non habere, in quas dividi possit, ipsemet testatur in *Lib. adv. Hermogenem cap. II.* et Deum spiritum esse, et quidem simplicem in *Lib. de Baptism. cap. I. Proh misera incredulitas, quae Deo proprietates suas denegas, simplicitatem, et potestatem!* et *contr. Praxeam cap. XXVI.* et in *Apolog. cap. XXI.* et Deum nullo posse loco circumscribi in eodem *Apologet. cap. XVII.* Quomodo igitur dicemus Tertullianum corpus putasse Deum? Corpus utique dixit, sed ne quis Deum, vel nihilum, vel quid inane putaret. Quod porro ad S. Epiphanium pertinet, credant alii quidquid volunt, non ego: nam nihil quidquam commune Epiphanio fuisse cum Antropomorphitis et constanter teneo. Adhibeamus testes. Et primo Hieronymus in *Epist. LXI. ad Pammach. advers. Joan. Hierosolym.* ait, postquam Joannes Hierosolymitanus contra Antropomorphitas in publica concione declamasset, oculosque, et manus, et totius corporis truncum in senem Epiphanium direxisset, illum

hoc carnale, et quas de nobismet ipsi habemus opiniones, ab aeterno Numine prorsus depellamus. Deus enim quippe ingenitus, et creator omnium, nullius indigens est, non eget potentiis, non eget partibus. Quid enim? Pedes Deo dabimus progrediendi gratia? at quo ibit, quum impleat omnia? ad quem accedet, quum neminem honore parem habeat? at quam tandem ob rem, quum humanis curis careat? Quid manus ad accipiendum, dandumque? Ipse a nemine quidquam accipit, qui non tantum non eget, sed et universa possidet. Oculis profecto non indiget, quibus sine luce sensibili nihil comprehenditur; at sensibilis lux creata est, Deus autem propriae lucis usu videbat etiam ante mundum conditum.

---

veluti commonstrans suspectum stultissimae haereseos, *surrexisse Epiphanium*, salutataque et voce, et manu Ecclesia, dixisse: *cuncta, quae loquutus est collegio frater, aetate filius meus contra antrepomorphitarum haeresim, bene, et fideliter loquutus est, quae mea quoque damnantur voce.* Sed de hac re confer et Augustinum in *Epist. CCCXXII.* At quid testibus opus? audiamus eumdem Epiphanium; is nimirum Audianos acriter insectatur in *Haeres LXX.* et apertis clamat verbis: *Spiritus Deus est, qui omnem spiritum exuperat.*

SCHOLION. Non latet in Sacris litteris humani corporis membra saepe Deo tribui, veluti in *Ps. XXXIII.* OCULI DOMINI SUPER IUSTOS et in *Ps. CXXIX.* FIANT AURES TUAE INTENDENTES IN VOCEM ORATIONIS MEAE, et in *Ps. VIII.* QUONIAM VIDEBO CAELOS TUOS, OPERA DIGITORUM TUORUM. . . . . CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM. Sed haec translato sensu ad demonstrandam carnalibus hominibus divinae virtutis efficaciam dicuntur. Oculi nempe, et aures nonnisi Dei scientiam indicant, non quod revera Deus oculos habeat. Audi Jobum X. 4. NUMQUID OCULI CARNEI TIBI SINT, AUT SICUT VIDET HOMO, ET TU VIDEBIS? Eodem modo per magnitudinem, et extensionem, Dei immensitas exprimitur, ut *Jobi XI.* 8. EXCELSIOR CAELO, PROFUNDIOR INFERNO, LONGIOR TERRA MENSURA EIUS, ET LATIOR MARI.

IV. Sed quomodo corpus Deum esse dices? Corpus finitum est, totque habet fines, quot partes, quaelibet enim pars aliam finit, et terminat, vicissimque ab aliis finitur. Deus vero quum maximum, summumque eorum sit, quae cogitari possunt, utique infinitus est. Corpus item, siquidem finitum, figura sane ali-

qua definiatur oportet, sed Deo ecquis audax figuram vel quadratam, vel rotundam, vel quamlibet aliam tribuet? Corpus praeterea, utpote finitum, circumscriptum quoque est, at Deus omnino incircumscriptus, quippe perfectissimus. Corpus denique vel ideo corruptibile est, quod partibus constat, quae separantur, et dissolvuntur, Deus vero, si ex elementis conflatus, cur in eadem denuo non redigitur, et interit? Compositio namque pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis, solutio vero nullo prorsus pacto in Deum, ac in primam illam caussam cadit. Sed si nulla datur solutio in Deo, nec et compositio danda, et si nulla datur compositio, quomodo corpus erit Deus (25)?

---

(25) Corporeum finxere Deum Aegyptii Monachi quidam, quos erupisse accipimus Theodosii Maioris Imperatoris et Siricii P. M. aetate, anno nempe CCCXCII. Ii quippe acri de divinis adtributis ingravescente controversia, in eum crassum errorem turmatim desciverunt, ut Deum effutiverint αγθρωπομορφον, humana nimirum, et corporea specie, atque forma constantem, atque hinc αγθρωπομορφιται primum dicti. Confer Sozomen. *Hist. Lib. VIII. cap. XI.* Socrat. *Lib. VI. cap. VII.* Cassian. *Collat. X. c. 1.* His Audius successit, de quo Theodoretus *Haeretic. fabul. Lib. IV. cap. X. Audius*

SCHOLION. Ita Deus incorporeus est, ut si cum eo spiritnales ceterae substantiae comparentur pro corporeis prope habendae sint. Quamobrem Patres plerique doctissimi solum Deum incorporeum esse dixerunt; siquidem Deus solus infinitus, incircumscriptus,

---

quidem in Syria trans Euphratem ortus Deum humana forma esse docuit, et corporis illi membra tribuit, stulte intelligens, quae per accomodationem in Scriptura dicta sunt. Idem de Vadianis, sive Audianis habet Augustinus *Haeres. L.* cui consentit Epiphanius *Haeres LXX.* Et Facundus Hermianensis *Lib. VIII. cap. VII.* Sed Audianis facem praetulisse quidam arbitrati sunt Melito Asiaticus, episcopus vero Sardensis, qui obiisse fertur an. Ch. CLXX. quem Origenes testatur *ap. Theodoret. Quaest. XX. in Exod. scripta reliquisse de eo argumento, Deum esse corporeum*; atque hinc a Petavio notatus *Theolog. dogm. lib. II. cap. I.* a Caveo *Hist. Eccl. Saec. II. ad an. CLXX.* a Joan. Clerico *ad an. CXLIX.* Sed sanctissimo, et doctissimo praesuli Melitoni immerito fortasse tantus error imputatur; libri enim inscriptionem, quam viderat Origenes περι εν σωματου θεου, quamque *de Deo Corporeo* intellexit, secus alii verterunt. Et Rufinus quidem graecam inscriptionem accipit *de Deo induto Corpore*; et Christophornus legit *de Deo Incarnato*, et Henricus Valesius *de incarnatione Dei.*

immensus, impassibilis, atque omnis prorsus multiplicitatis expers in sua substantia; quum contra rationales creaturae terminis quibusdam circumscribantur, et non secus ac corpora figuris, passionibus variis, adfectionibusque diversis, veluti quibusdam sui generis partibus distrahantur, corporisque saepe consortio ad quasdam operationes egeant. Atque ita intelligendus Hilarius Pictavorum Episcopus, quum animam, ceteraque, praeter Deum, corpora adpellavit, non quod cuncta voluntate, ac corporea mole praedita esse crediderit, quemadmodum sanctissimo pontifici obiecerunt nonnulli, sed quod cuncta praeter Deum mutabilia sunt, certisque veluti locis circumscribuntur, quamvis per extensionem in loco non sint.

V. Quod si Deus simplex non esset, utrum ex materia, et forma compositus esset, an ex substantia, et accidentibus? Sed quis tam indigna de Deo proferet? Componentes partes imperfectae sunt, et impius quis dixerit ex imperfectis constare Deum? finitae sunt, et quomodo substantiam secundum essentiam constituunt infinitam? Nec porro ulla in Deo ex substantia, et accidentibus compositio esse potest; nam quidquid Deus est per se est, et ut S. Augustinus ait *lib. V. de Trinitate*: *A seipso*

habet quidquid habet, non vero aliud maius se patitur, cuius beneficio sit, et cui quodcumque habet acceptum referat.

SCHOLION. Ne tu hinc arbitreris, homines quoad corpus ad imaginem Dei efformatos; ut enim inquit S. Ambrosius in *Ps. CXVIII. invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo quod non videtur.* Nisi illud et ad imaginem Dei conditum dici velis, siquidem efformatum iuxta illud perfectissimum exemplar, quod in mente ex aeternitate praeconceptum fuerat. Quam fuisse Audii sententiam nonnulli ex Patribus haud immerito opinati sunt.

VI. Nec praeterea in Deo hypostasis ab essentia distinguitur, nisi ratione dumtaxat, namque una eademque res et Dei, et Patris nomine significatur, sed altera vox absolute, altera relative eamdem designant rem. Quum igitur unum reipsa sint substantia, et hypostasis in Deo, nulla dari potest ex utriusque concursu compositio. Praeclare hinc Anomaeorum argumentationes eludit Maximus Martyr *Dialog. I.* in quo Anomaeus, et Orthodoxus colloquuntur: Anomaeus: *estne aliud substantia, et aliud hypostasis?* Orthodoxus: *aliud et aliud, non tamen ut res.* Anomaeus: *ergo inest compositio.* Orthodoxus: *aliud et aliud dixi, non ut res alia et alia, sed quod aliud si-*

gnat hypostasis , aliud substantia , quemadmodum frumenti granum fructus dicitur , et semen , non ut sit res alia et alia , verum quod aliud signat semen , aliud fructus , quoniam semen futurae agricolationis est semen , fructus vero praeteritae agricolationis est fructus. Quid igitur? an demum ex genere et differentia Deum dices compositum? Apage istas nugas , ut enim Clemens Alexandrinus *lib. V. Stromatum cap.* 12. *Deus neque est genus , neque differentia , neque species , neque individuum , neque numerus , sed neque accidens aliquod , nec tale id , cui aliquid accidit.* Habes igitur ex his omnibus , vel ipsa meridiana luce clarius , nullam dari in Deo compositionem , ac proinde incorporeum esse.

CAP. VII.

DE IMMENSITATE DEI.

I. Firmissima catholica veritas est , Deum immensum esse , atque ubique praesentem , suaque immensitate caelum , terramque implere (26). De qua divini verbi permanentem ha-

---

(26) Altissimi Dei qui omnia regit id maxime

bemus auctoritatem, unanimi Sanctorum Patrum interpretatione firmatam. Et sane *Hierem.*

---

proprium est, ut non solum ubique sit, verum praesens omnia inspiciat, et audiat. Sed divinam hanc proprietatem, quam immensitatem adpellamus, et plerique veteres, et recentiores evertere conati sunt. Atque inter illos quidem Platonem recenseas, de quo Iustinus in *Cohortat. ad Graecos num. V. et XXXVI.* et Stoicos apud Tertullianum *in Apologet.* itemque rudiores Hebraeos, qui Deum Hierosolymitani templi finibus circumscriptum crediderunt, ut auctor est Hieronymus *in Isaiam cap. LXVI.* et Cyrillus Alexandrin. *Lib. II. contr. Iulian.* quemadmodum et Samaritanos quoque, qui ipsum templi sui *Garizim* terminis concluserunt, ut patet ex Hilario *Lib. II. de Trinitate num* 31. In eamdem classem Ebionaeos quoque conscribas, qui Ebione duce an. Ch. circ. LXXIV. Hierosolymam urbem venerabantur, quasi domum Dei, extra quam Dominus substantia non esset. Confer Irenaeum *Lib. I. advers. haeres. cap. XXVI. n.* 2. His stultissimus succedit Helxeus, Iudaeus homo, nisi maxime fallor, qui an. Ch. CV. per delirium somniavit, Deum, sive Christum, et Spiritum S. habere mensuras milliariorum nonaginta sex in longitudinem, et viginti quatuor in latitudinem, ut ex Epiphanio habemus *Haeres. LIII.* In quam eamdem referas, Basilidem Alexandrinum, Gnosticos, et

XXIII. 24. SI OCCULTABITUR VIR IN ABSCONDITIS ET EGO NON VIDEBO EUM DICIT DOMINUS? NUMQUID NON CAELUM ET TERRAM EGO IMPLEO, DICIT DOMINUS? Et *Baruch. III.* MAGNUS EST, EXCELSUS, ET IMMENSUS. Et in *Ps. XXXVIII.* QUO IBO A SPIRITU TUO, ET QUO A FACIE TUA FUGIAM? SI ASCENDERO IN CAELUM, TU ILLIC ES;

Manichaeos, qui id amplius adseruere, Deum tribus dumtaxat quadris infinitum esse, atque immensum, ut videre est apud Augustin. *Lib. contr. epist. fundam. cap. XXI. et XXIII.* Itemque Pleromaticos, Valentini nempe, et Tatiani Pleromae asseclas, et praeterea auctores, et sectatores Iudaici Talmudis, atque Iudaeos insuper illos, qui singulare carmen concinebant, in quo decem transmigrationes, quas passa erat divinitas descripsere, quod legere est apud Bartoluccium *Biblioth. Rabbinic. tom. I.* In eodem errore Fastidiosus fuit, quem arguit Fulgentius *Serm. contr. Fastidios.* Ex recentioribus tamen heterodoxis Deum esse ubique essentia negarunt Worstius Calvinianus in *not. ad Dissert. III. de natura Dei*, et Marnix de eodem Calvini grege in *Epist. ad Theodorum Bezam.* Inter Catholicos vero unus, quoad sciam, merito incusatur Steuchus in *Comment.* in *Ps.* CXXXIII. nam Erasmus de quo plures con-

SI DESCENDERO IN INFERNUM, ADES: SI SUMSERO PENNAS MEAS DILUCULO, ET HABITAVERO IN EXTREMIS MARIS, ETENIM ILLUC MANUS TUA DEDUCET ME, ET TENEBIT ME DEXTERA TUA.

II. Enimvero Deus a seipso est, et absoluta, et omnimoda necessitate existit, ergo nullo umquam loco circumscribi, et limitari potest, sed tota sua essentia ubique debet esse diffusus. Nam si limite aliquo eius concluderetur essentia, aliquam profecto caussam oporteret esse, cur heic potius et non alibi consisteret, et cur certum occuparet spatium, et non omnia. Sed si nulla est caussa cur Deus sit, ecquae caussa erit cur in uno potius sit, quam in alio loco? At praeterea si certo quodam loco, vel spatio contineretur Deus, certis quoque esset finibus, et limitibus circumscriptus, sed Deus infinitus est, quippe ens perfectissimum, quo nihil concipi potest praestantius (27), immensus igitur est.

---

queruntur, potius futilissimas scholasticorum quaestiones hac in re derisisse videtur, quam Dei immensitatem denegasse.

(27) Una quidem ratione ducti sapientes Ethnici plerique Deum immensum, et ubique praesentem praedicarunt. Hos inter percenseas Orpheum

III. Immensus est, et ubique, et totus, et in seipso. Immensus, quod nullo definitur loco. Ubique quod nusquam est absens. Totus, quod non universitati tantum, sed cuilibet parti rerum totus, indivisusque inest. In seipso, quod non continetur ab eis, quibus praesens est, tamquam sine eis esse non possit.

IV. Quum porro in simplici, et corporis experte natura unum omnia sint, eademque sit ratio substantiae, et actionis, omnino statuamus necesse est, ut ubicumque praesens sit

---

apud Cyrillum Alexandrin. *lib. I. in Iulian.* Trismegistum *Cap. II. Pimandr.* Diogenem Cynicum apud Laertium *Lib. VI.* Pythagoram ap. Iustinum in *Cohortat. ad Graec.* Heraclium in *Epist. ad Hermodor.* Aristotelem *Lib. I. de partib. animal. cap. V.* Senecam *lib. IV. de benefic. cap. VIII.* Virgilium *Lib. IV. Georg.* Proclum in *Theolog. Platonic. lib. I. cap. XIX.* Sallustium Cynic. *de diis, et mundo cap. II.* et Aeschilum ap. Clementem Alexandrin. *Stromat. lib. V.* Sed omnium instar sit Plotinus *Ennead. VI. lib. V. cap. IV. Id omni humanae insitum esse naturae, ut sicut esse Deum existimet, etiam ubique esse totum arbitretur.* O vox tanto philosopho vere digna! Celeberrimum accedit Oraculum apud Porphyrium:

Παντα θεου πληρη. παντη θεος εστι, φανηθη.

Omnia Deo plena. ubique Deus est, Phanethes

Deus virtute, praesens sit etiam Deitate. Quid enim virtus Dei est nisi Deus ipse? Catholicum dogma delirantes Sociniani invadere tentarunt. Concutiant at veritatem quantumvis, firma stabit semper, suoque stabili haerebit fundamento immobilis. Innumera enim contra blasphemos homines stant Scripturarum testimonia, illudque potissimum Apostoli Paulli *Act. XVII.* DEUS NON LONGE EST AB UNOQUOQUE NOSTRUM, IN IPSO ENIM VIVIMUS MOVEMUR ET SUMUS.

V. Quid quod uno ore Patres omnes id luculentissime testantur. Omnium instar paucos adferam. S. Anselmus *Lib de Incarn. cap. IV. Idem est esse Dei, et potestas eius; sicut itaque potestas Dei est semper, et ubique, ita quidquid est Deus ubique et semper est.* Eadem ferme argumentatione usi sunt S. Basilius *Lib. Adv. Eunomium*; Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus contra impudentes quosdam, qui Deum ubique esse operatione fatebantur, natura negabant; et S. Joan. Damascenus *lib. I. de fid. orthod. cap. XIII.* Hinc S. Ioan. Chrysostomus *in Ps. CXII. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo, et in terra? ostendes*, inquit, *illum ubique esse, illic et hic; non enim tamquam aliquis*

in caelo conclusus eminus videt, quae sunt in terra, sed ubique praesens, et omnibus assistens.

VI. Non vice tamen simplici Deus *descendisse* in Sacro Codice dicitur, veluti *Genes. XI.* 5. DESCENDIT DOMINUS UT VIDERET CIVITATEM, ET TURRIM, et alibi. Tropica at ea est locutio; descendere enim non potest, nisi qui de loco in locum moveri potest. Non loco autem movetur Deus, qui semper ubique est totus, sed descendisse dicitur, *quum aliquid*, (ut ait S. Augustinus *de Civ. Dei lib. XVI. cap. V.*) *facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter effectum. praesentiam quodammodo eius ostendat; vel quia descenderunt Angeli eius, in quibus inhabitat.*

VII. Verum si Deus immensus est, eccur *Gen. III.* 8. ABSCONDIT SE ADAM, ET UXOR EIUS A FACIE DOMINI DEI? Eccur *IV.* 12. EGRESSUS CAIN A FACIE DOMINI PROFUGUS? Eccur *Jon. I.* 3. FUGIT IONAS IN THARSIS A FACIE DOMINI? Quid? latebras quaerit hic, ille fugit, anne Deum immensum esse, atque ubique praesentem ignoraverint? Apage! fugerunt quidem a facie Domini, sed quid heic facies Domini, nisi manifestatio Dei? nam Damasceno aucto-

re *Lib. I. de Fid. orthod. cap. XIV.* nonnisi ab eo loco fugerunt, ubi Deus se ipsis antehac manifestavit. Quin abscondit se Adam, sed animo turbatus, mente veluti expers, et quid ageret in confusione nesciens, abscondit se. Egreditur Cain, sed et ob occisum fratrem excaecatus, et nihil sentiens, perpetuo timens, nihil videns, conscientia agitatus egreditur. Utique si nullo animi morbo angerentur, cum propheta quisque dixisset: QUO IBO A SPIRITU TUO, ET QUO A FACIE TUA FUGIAM?

VIII. Eodem modo *Genes. cap. XXV.* Rebecca perrexisse dicitur UT CONSULERET DOMINUM. An quia non erat Deus in regione, in qua peregrinabatur Isaac cum uxore sua? Perrexit quidem Rebecca ad consulendum Dominum, sed de domo perrexit in cubiculum, de turba in solitudinem ad orandum. Nec recusabo tamen veterum Rabinorum interpretamentum, qui perrexisse Rebeccam aiunt ad consulendum Abrahamum. *Quo abiit*, inquit Origenes *Hom. XII. in Gen. ex eo loco, in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum, in quo erat? nonne ubique est Deus? nonne ipse dixit: caelum et terram repleo? absurdum est, si ita imperitam fuisse putemus Rebeccam, et indoctam, quae in domo sapien-*

tis Abrahae, sub viro eruditissimo Isaac fuerat instituta, ut intra aliquem locum Dominum putaverit esse conclusum.

IX. Porro nec est cur Patriarchae Iacobi moveamur sermone *Genes. cap. XXVIII.* 16. VERE DOMINUS EST IN LOCO ISTO, ET EGO NESCIEBAM, velut si ignoraverit, nullum omnino locum esse, ubi Deus non esset. Aliud at fortasse innuit Iacobus, nimirum quod Dei adparitione locus ille singulari modo sanctificatus erat. Sed dignus qui audiatur S. Bernardus in ea Iacobi verba *Serm. VI. in dedic. Sed forte Iacob aliud esse miratus est, ubi ait, vere Dominus est in loco isto; est ergo in omni loco, omnia universaliter continens; omniaque disponens, sed longe tamen aliter, atque aliter.*

SCHOLION. Deus ubique est per potentiam, praesentiam, et essentiam. Est et singulari modo per hypostaticam unionem in Christo; Est per sanctificantem gratiam in iustis; Est in peccatoribus per vindictam. Audiamus iterum S. Bernardum *loc. cit. Deus apud homines malos est praestans, atque dissimulans, apud electos homines operans, et servans: apud superos praesens, et cubans; apud inferos arguens, et damnans.*

X. Immensus igitur est Deus, et est intra

omnia, extra omnia, infra omnia, et supra omnia. Ipse est interior, et exterior, ipse inferior, et superior. Regendo, et regnando per potentiam superior, sustentando inferior, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia interior; sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Ipse dixit: *Isaiae LXVI. I.* CAELUM MIHI SEDES EST, ET TERRA SCABELLUM PEDUM MEORUM, Quid hoc, quod Caelum Dei sedes dicitur? Sane et Christus Dominus orare nos docet: PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS. Sed Deus qui immensus est, caelo circumscriptus non est; et ideo caelum sibi sedem esse ait, ut Divinitatis sublimitatem admireris. Quemadmodum et occinit Orpheus:

Ipse autem in magno constans, et firmus Olympo est:
Aureus huic thronus est, pedibus subiectaque terra,
Oceani ad fines illi protenditur ingens
Dextera, montanas atque intus concutit illi
Ira bases, motus nec possunt ferre valentes.

Ipse est in caelis, et terram amplectitur omnem
Principium mediis, extremisque ipse paratum est,
Non aliter fas est te dicere, membra tremiscunt,
Cogito dum summum.

Et cur potius in caelis, nisi ut noscas, ibi gratiae suae, gloriaeque divitias uberrime expromere, ubi seipsum suamque divinam maiestatem, ac essentiam beatis omnibus intuendam praebet, ac fruendam?

XI. Sed Dei immensitatis cum Divina simplicitate concordiam a nobis expectat Bayleus, qui vel unum, vel alterum altissimi Dei adtributum impetere conatur, quod nullo sibi suadet pacto posse immensitatem cum incorporea natura conciliari (28). Verum impudentissimus homo S. Augustinum audiat loquentem ad Dardanum *in epist. CLXXXVII. cap. IV. In eo ipso quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensu avocanda, ne quasi speciosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër; aut lux ista diffunditur (omnis enim*

---

(28) Bayleus *Op r. omn. tom. III. part. II. cap. XV.*

huiusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto) *sed ita potius sicuti est magna sapientia etiam in homine, cuius est corpus parvum.* Et inferne: *sic est Deus per cuncta diffusus, non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo caelo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in scipso ubique totus.*

XII. At anne quaeris ubi erat Deus ante mundum conditum? Abiiciamus arma temeritatis. Deus non erat in mundo, qui non dum effectus, non erat in spatio, quum nullum sit spatium a Deo distinctum (*Inanes sunt hominum cogitationes*, inquit S. Augustinus *Lib. XI. de Civit. Dei cap. V. quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit praeter mundum*), Deus erat solus, et praeter ipsum nihil erat. Nec sine mundo sedis indiguit, nec facto caelo, et condito mundo sedem tamquam finitis erroribus peregrinus invenit. Et ut praeclare ait Tertullianus *Lib. adv. Praxeam cap. V. Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia.*

Cap. VIII.

DE IMMUTABILITATE DEI

I. Excelsus, et summus Deus, qui in aeternitatis, et veritatis apice sedet, immutabilis est (29). Quidquid enim in supremo, et perfectissimo Ente est, absolute necessarium est, et quod ita necessarium est, im-

(29) Dei immutabilitatem Ethnicis adprime exploratam, nemo unus est qui inficiabitur. Sane cui non nota Platonicorum doctrina? Proclum habes, qui in *Theol. Plat. cap. XIX.* unitatem Divinam cuiuscumque mutationis impatientem fatetur. Quid de Plotino, qui *Ennead. I. lib. VII. cap. I.* eamdem a bonitate Dei eruit veritatem? *oportet* ait *ipsum bonum firmiter permanere, et ad seipsum cuncta convertere, quemadmodum revolvitur circulus circa centrum, a quo lineae singulae producuntur.* Et mox *Enn. III. lib. VI. cap. VI.* Deum clamat immutabilem, quia Ens est: *Deus perfecte Ens est, nullo igitur indiget quo sit atque servetur. Sed ipsum aliis quae videntur esse, ut esse videantur, est caussa. Neque quidquam illic in potentia est quantacumque, alioquin aliquo deficeret. Quamobrem sempiternum est, et eodem modo se habet semper; nihil aliquando suscipit, nihil in ipsum infertur aliquando. Si quid enim susciperet, praeter seipsum acciperet aliquid, id vero non Ens foret,*

mutabile est. Hinc Deus ipse *Malach.* 3. EGO DOMINUS, ET NON MUTOR. Et *Num. XXIII.* 19. NON EST DEUS QUASI HOMO, UT MENTIATUR, NEC UT FILIUS HOMINIS UT MUTETUR. *Sap. III.* 27. OMNIA POTEST, ET IN SE PERMANENS OMNIA INNOVAT. Et *Iacob. VIII.* 17. APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO, NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO.

II. Divina porro immutabilitas non aliunde uberius adstruitur, quam ab ipsa Dei essentia: Ipse dixit: EGO SUM QUI SUM, sed qui est, immutabilis est. Omnia enim quae mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. At esse verum, esse sincerum, non habet nisi unus ille qui

---

cet. Quod ipsum argumentis ex mente, et ex veritate Dei desumptis praeclare confirmat.

Verum hac in re blasphemant omnino Sociniani, qui Deum decreta sua mutare deblaterant. De horum grege Crellius est in *Lib. de Deo et adtrib. p.* 240 *et seq.* itemque Worstius, qui quot verba tot blasphemias pronuntiavit *in not. ad disp.* 3. *Divina*, ait, *voluntas semper principium cuiusquam mutabilitatis est. Non satis igitur circumspecte loquuntur, qui Deum ut essentia, sic etiam voluntate prorsus immutabilem esse adfirmant.* Heu te miserum furciferum, qui talia impio ore dicere audes! At de hac re fusius infra.

non mutatur. Ille habet esse, cui dicitur: MUTABIS EA ET MUTABUNTUR, TU AUTEM IDEM IPSE ES. Idem ipse est, quod eodem modo semper se habet, nec umquam augetur, nec minuitur.

III. At vero unus est Deus. Sed qui unus est, immutabilis est. Uni enim nec accedere quid potest, nec decedere. Si quid enim uni accedat, iam non unum, sed duo erunt; si contra quid decedat, iam ante igitur duo fuerant, non unum. Praeterea quod accedit, antea deerat, et quod recedit antea aderat; sed unitas nec quidquam habet anterius, nec posterius.

IV. Deus est summum bonum, et verum aeternum, sed neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera aeternitas. Ipse veritas est, et vera sapientia, sed veritas est quae eadem semper est, et vera sapientia mutationem non patitur. Ipse est vita, et vita interitum nescit. Ipse est lux, et lux tenebras odit. Ipse est omnium origo; sed omnia quaecumque fiunt, quaecumque gignuntur mutabilia sunt, origo tamen semper eadem permanet, nec ulli obnoxia mutationi.

V. Sed si Deus immutabilis est, quomodo dominus esse coepit qui prius non fuerat (30)? At homo, nosce tuae men-

(30) Sane huiusmodi difficultas multorum torsit

tis imbecillitatem, tuarumque cogitationum fines! tu qui non ultra sapis, Deum tuo

---

ingenia; nec defuere plerique veterum, qui tam periculosam caventes Syrtim, in eam devenerint opinionem mundum ab aeterno conditum fuisse; *ne videlicet si aliquando primum Dei opera coepta dicantur, priorem suam sine initio vacationem, tamquam inertem, ac desidiosam, et ideo sibi displicentem damnasse quodammodo, atque ob hoc mutasse credatur.* Sic Augustinus refert *Lib. XII. de Civ. Dei cap. XVII.* Quo in errore versatur Origenes *Lib. I. περι αρχων cap. II.* Sed dignus qui conferatur Tertullianus in *Lib. adversus Hermogenem*, qui aeternitatem materiae inde auguratur, quod ut aeternum foret dominium, aliquid ei coaeternum dandum esset. Videsis quae in eum solida perstringit argumenta doctissimus Pater. Unus porro hac in re desiderabatur Volterius ille Tragico-philosophus, qui mundum aeternum esse sibi suadebat, quod incredibile ei videbatur, Deum ab omni eaternitate nihil egisse. *Dans le Philosophe ignorant* §. 14. *Lettres de Memmius a Ciceron lettr. VIII.* Sed pressius in diatriba quadam *Tom. XXXII pag.* 163. *edit. Basil* 1786 *Le monde son ouvrage, sous quelque forme qu' il paraisse, est donc éternel comme lui, de meme que la lumiere est aussi ancienne que le soleil, le mouvement aussi ancien que la matiere... Que pourrait on imaginer en effet de plus contradictoire qu'un être essen-*

modulo metiris, et Creatori leges, creaturae praescriptas, praescribis. Sed mensuras has-

tiellement agissant qui n' aurait pas agi pendant une éternité; un être formateur qui n' aurait rien formé, et qui n' aurait formé quelques globes que de puis très peu d' années, sans qu' il parût la moindre raison de les avoir formés plutôt en un temps qu en un autres? Sed quid respondebimus Volterio, ut demum erubescat? Sane nihil potius invenio, quam pulcherrimam ipsius Volterii responsionem in *Trait. de Métaphysiqu. chap.* 2. ubi materialistas exagitans, id praeter cetera multa clamat, in voluntate Dei libera consistere rationem sufficientem temporis, quo voluit mundum creare. Heu impudentes saeculi reformatores! idem reputant saeculum reformare, ac contradictionibus omnia involvere. Volterius igitur a Volterio responsum accipiat: *Cette obiection se reduit seulement à ceci: Ie ne puis comprendre, que Dieu ait creè l' univers plutôt dans un temps, que dans un autre; donc il ne l' a pu crèer. C' est comme si l' on disait: Ie nè puis comprendre pourquoi un tel homme, ou un tel cheval n'a pas existè mille ans auparavant, donc leur existence est impossibile. De plus, la volontè libre de Dieu est une raison suffisante du temps dans le quel il a voulu crèer le monde. Si Dieu existe, il est libre; et il ne le sèrait pas s' il etait toujours determinè par une raison suffisante, et si sa volonté ne lui en servait pas. D' ailleurs*

ce confringe: Deus creatas omnes et naturas, et mentes infinito transcendit intervallo, et contraria omnia in se conciliat, et agens quiescit, et quiescens agit. Audi Hypponensem Episcopum *de Civ. Dei lib. XII. cap. XVII.* iis resistentem, qui capere nequeunt quomodo Deus citra ullam sui demutationem ab otio ad negotium transisset, et a sempiterna cessatione ad novam operis molitionem. *Non in eius vacatione cogitetur ignavia, inertia, desidia, sicut nec in eius opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere.*

VI. Quid porro est, quod poenitere Dominus dicitur, quum mutari adfectibus non credatur? Sed quia cum mutabilibus summa immutabilitas loquitur, more eorum quibuscum loquitur, dum poenitere dicitur, displicere sibi superborum temeritatem indicat. At dicam amplius, Deus non mutatur, sed mutatis hominibus ipse quodammodo mutatus videtur; perinde ac Sol, qui quantum oculo blanditur sano, tantum lippientem exaspe-

cette raison suffisante serait elle dans lui ou hors de lui? Si elle est hors de lui, il ne se determine donc pas librement. Si elle est en lui, qu' est ce autre chose que sa volontè? Utinam semper ita philosophatus esset Volterius?

rat. Quid? an Solem mutatum dices, quod hunc excruciat, illum vegetat? Sed tu qui intueris, mutatus es. Sic quum coeperis esse perversus, et tibi Deus perversus esse videbitur, tu mutatus es, non ille (31).

SCHOLION. Praeclare Augustinus *Con. Adv.*

---

(31) Adprime idipsum edocet Iamblicus *de Myster. Seg. I. cap. XIII.* Sed andias potius Sallustium *Lib. de Diis, et mundo cap. XIV.: Dicendum est Deum omnino non laetari, nam quod laetatur etiam moerore afficitur: neque irasci, irasci enim affectio animi est; neque mulceri muneribus, id enim esset delectationibus vinci; neque fas esse ex rebus humanis Numen vel bene, vel male se habere. Sed illi quidem boni sunt semper, et tantum proficui, noxii numquam, semperque in omnibus eodem modo se habent. Nos vero dum sumus boni, propter similitudinem Dei coniungimur, dum mali propter dissimilitudinem separamur; et dum ex virtute vivimus, diis adhaeremus, dum vitiis inquinamur, nobis illos hostes comparamus.* Sunt tamen qui Tertullianum accusant, quod in *lib. II contr. Marcionem cap. XXIV.* Dei poenitentiam *Genes. VI.* 6. et *Jonae III.* 10. in simplici conversione prioris sententiae sitam velit, et in demutatione animi, haudquaquam orta ex levitate, sed pro rerum se se variantium occursu. Pluribus tamen doctissimum Patrem excusat Cl. Petavius *Dogm. Theol. lib. III. cap. II,* cui et nos adsentimur.

leg. et Prop. lib. I. cap. XX. Poenitentia Dei non est post errorem ; ira Dei non habet pertubati animi ardorem , misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, zelus Dei non habet mentis livorem. Sed poenitentia Dei dicitur , rerum in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio , ira Dei est vindicta peccati , misericordia Dei est bonitas opitulantis.

SCHOLION. Irascitur igitur Deus , ut lex, ut iustitia irasci dicitur in perditos homines: Cui enim antea pio , frugique lex et gaudebat , et praemia ostendabat , eidem mox flagitioso indignatur , et supplicia intentat. An legem ideo dicere audes mutatam , quod iustos amore , praemiisque , et impios odio poenisque prosequatur ? lex certe eadem est, nec ullam subit mutationem , sed mutatio tota in homines recidit , qui virtutem vel sectando vel aversando , immutabilis legis vel praemia , vel poenas sibi arcessunt.

CAP. IX.

DE AETERNITATE DEI

I. Deus temporum conditor est ; et ipse tempora continet , nec tempore continetur. Is tempora regit , nec temporis legi obstingi-

tur. Adsunt ei tempora, nec illum distendunt, praesens adest ipse temporibus, nec cum illis dispergitur. Aeternus igitur est, sive totus simul adest temporibus omnibus, singulisque praesens (32). Quare in vetusti Testamenti Tabulis *Deut. XXXI.* VIVO EGO IN AETERNUM. *Exod. XV.* 28. DOMINUS REGNABIT IN AETERNUM, ET ULTRA. *Ps. LXXXIV.* 2. A SAECULO,

(32) Dei aeternitatem et ipsi Ethnici fatentur. Scitissima sunt Thaletis Milesii effata; πρεσβυτατον των οντων, θεος. αγεννητον γαρ; *antiquissimum entium, Deus; ingenitus enim.* Itemque: τι το θειον, το μητε αρχην εχον, μητε τελευτην; *quid Deus? quod initio, et fine caret.* Confer sis Diogenem Laertium in *Thalet. lib. I. cap. I. segm.* 9. Sed missis philosophis, et poëtis, quorum sententias alii occuparunt, unum et alterum vetustum lapidem proferam:

Antiquus cippus apud Muratorium p. CVI. 7.	Et apud Gruterum p. XVII. 7.
DEO AETERNO PRO SALVTE L. COMATI DIONYSI CHRYSA V.S.L.M.	DEO AETERNO SACRVM L. POMPONIVS FVNDANVS CVM SVIS OMNI BVS . VOTVM . L. SOLVIT φ φ

Innumera huiusmodi cimelia congererem, nisi sermo ad alia longe necessaria properaret.

ET USQUE IN SAECULUM TU ES DEUS. Et *Ps. CI.* 13. TU AUTEM IDEM IPSE ES, ET ANNI TUI NON DEFICIENT.

II. Aeternitas est interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio (33). At ea Deo qui unus est unice competit. Quemadmodum enim ex unitatis sinu turba numerorum om-

(33) Ardua res est de aeternitate loqui; quid enim a finito intellectu nostro expectari potest? Verum quid sit aeternitas, iam ex Boëtio vidimus *Lib. V. de Consol. Philos. Pros. VI.* quam definitionem et Augustinus antehac produxit, et S. Thomas ut patribus omnibus consentaneam amplexus est. Sed ridendi illi potius, qui aeternitatem nihil aliud esse effutiunt, quam durationem successivam: sive infinitam momentorum sibi succedentium seriem. Clarius nempe prima fronte hoc dicterium videtur, sed tu qui sanus es, prudens cave serpentem. Quid enim ista infinita momentorum succedentium series cum aeternitate commune habet? Infinita momenta quae usque nunc effluxerunt, quis non videt quod iam praecesserint, finemque habuerint? Sed quid ab aeternitate alienius quam *το praecedere*, et *finem habere*? Momenta quae sequuntur iam non sunt, sed mox incipient esse, at quid *το incipere* in aeternitate, quae neque initium habet, neque finem? Sed quae item sequuntur, primis adduntur, verum quid absurdius hac additione in eo, qui infinitus est? Non moror insanos.

nium emanat, ita et ex aeternitate numerosi temporum decursus scatent. Infinita est aeternitas, et tota simul, sed quid unitate infinitius, quid magis totum simul? Unus est Deus, ergo idem semper est, nec temporum variatione variatur. Unus est, ergo semper sibi totus praesens est, nec pars est, in qua fluxit, nec in qua fluit, nec in qua fluet. Unus est, ergo interminabili tota simul vita fruitur, nec perit aetas anterior, adventante posteriore. Paucis omnia expediam. Unitatis et aeternitatis una ratio est, unaque natura. Utraque nempe prima est; itemque plena, foecunda, sine initio, sine fine, tota simul, stans, non fluens, vita non moriens. Si Deus igitur unus est, aeternus etiam est.

III. Quid quod aeternitas Dei ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile. Deus est qui est, et qui est in nullas partes divisibilis est; partes enim singulae non essent quidquid reliquae essent, ergo qui est, totus simul est. Qui vere est, nec coepit, nec desinet, sed semper est. *In eo enim qui est*, (ait Augustinus in *Ps.* CI.) *nihil est praeteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum; quasi nondum sit; sed non est ibi nisi est. Non est ibi fuit, et erit; quia et quod fuit, iam non est, et quod erit nondum est; sed quidquid ibi est, nonnisi est.*

SCHOLION. Praeclare S. Gregorius Pontifex *Homil. XIX. in Evang.* ANTE ABRAHAM EGO SUM. *Ante, praeteriti temporis est; sum, praesentis. Et quia praeteritum, et futurum tempus divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait, ante Abraham ego fui, sed* ANTE ABRAHAM EGO SUM.

IV. Divinae enim naturae nihil est, ut ait Isidorus Pelusiota tam ιδιον, και χαρακτηριστικον, sicut το αιδιον. Individuo namque vinculo ita vera Deitas, et aeternitas consociantur, ut divelli omnino non possint. Sed ubi est qui creaturam, et ubi qui materiam coaeternam, et consempiternam clamat? Quaevis sane creatura vel tunc saltem coepit, quum ex nihilo per Conditoris omnipotentiam emersit. At vera aeternitas incipientis non est. Itemque creatura ut a non esse ad esse semel emersit, ita et eodem mutabilitatis suae lubrico ab esse ad non esse relabi potest. At vera aeternitas desinentis non est.

V. Deus porro omnia tempora non tempore, sed aeternitate antecedit; nam ante tempora condita nullum erat tempus, quo tempora ventura Deus anteiret. Ergo ante omnia tempora, et post omnia tempora, antecedit, et succedit sine tempore aeternitas, et infinitos temporum lapsus sic circumcingit, sic

concludit, ultraque patet, ut pelagus guttulam aquae. Egregie hinc Augustinus: *Non tu, Deus, tempore tempora praecedis. Sed praecedis omnia tempora praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis; et superas omnia futura, quia et illa futura sunt, et quum venerint, praeterita erunt; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt; isti autem nostri, et eunt, et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt; isti autem nostri omnes erunt cum omnes non erunt. Anni tui dies unus; et dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hexterno. Hodiernus tuus aeternitas.*

CAP. X.

DE VISIONE DEI

I. Felices antiqui dies', tenebris, et caligine vacui, quos Divinitatis lustrabat praesentia, quos laetitiae immensitas decorabat. Hos dies nactus est primus humani generis parens, antequam ab innocentiae statu per culpam caderet praevaricationis. Verum ubi Dei indignationem expertus, heu quam tenebrosum ingressus est diem! In hoc die nascimur cun-

cti, si tamen dies, et non potius nox debet ille vocari, in quo a patria in exilium, a visione Dei in caecitatem nostram, a iucunditate immortalitatis, in amaritudinem, et horrorem mortis deplasi sumus.

II. Mentis attamen oculus per primigeniam labem sauciatus est, non effossus, sordidatus, et obnubilatus est, non excaecatus. Videt adhuc ergo, sed obscure videt, et cum dolore. Purgatus a sordibus, sanatus a vulnere per fidem videt, videt et per morum innocentiam. Sed videt? purgatus usque, et usque sanatus Deum non videt, sed contemplatur. Quare de Elia, qui Deum vidit quidem, sed in sibilo aurae tenuis obiter pertranseuntem, S. Bernardus ait *Serm. II. in ram. oliv. Hic est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima elevatur, quum meditatione exardescente nascitur in corde iubilus quidam, quem nemo scit, nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit.* Et S. Gregorius Magnus *Lib. VIII. Moral. Ecce enim electorum mens iam terrena desideria subiicit, gustu incircumscripti luminis pascitur, et ultra se evocata, ad semetipsam relabi dedignatur: Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam, inhaerere diu luci non valet, quam raptim videt.*

Sectio I.

Mortalis quisque vi suae naturae Deum videre non potest.

I. Purgatus quantumvis oculus Deum non videt, sed contemplatur; namque adhuc Deum, sicuti est per clarissimam cognitionem nostris naturae viribus videre prohibemur (34). Hinc Apostolus Paullus *ad Co-*

(34) Continuam Dei visionem, in qua ipsissima felicitatis possessio posita est, nulli prorsus mortalium in hac vita concessam fuisse, certum est. Anne tamen per breve aliquid temporis intervallum alicui se conspiciendum praebuerit Deus, prorsus ipsi non conveniunt Patres. Quidam enim de intuitiva Dei visione interpretantur, quae in Sacro Codice habemus de veteris testamenti Prophetis, qui Deum vidisse dicuntur, et de Paullo Apostolo, qui raptum usque ad tertium caelum se dixit *ad Corinth. XII.* In hac quidem sententia est Augustinus *Lib. VII. de Genes. ad litteram cap. XXVI. et seq. et Epist. CXLVII. cap. XIII.* Basilius *Hom. VII. in Exaemeron.*, Ambrosius *ibid.* itemque Beda, et Hugo Victorinus in *Epist. II. ad Corinth.* quibus adstipulatur D. Thomas *P. I. quaest. XII. art. II. ad* 2. *et* 2. 2. *quaest.* 175. *art.* 3. Alii contra Patres, tum et Theologi quamplures acriter quidem contendunt, nemini umquam in terris concessum fuisse intuitive Deum videre. Enimvero rogaverat Deum Moses *Exod.*

rinth. I. *XIII.* VIDEMUS NUNC PER SPECULUM IN AENIGMATE; TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. NUNC COGNOSCO EX PARTE, TUNC AUTEM COGNOSCAM, SICUT ET COGNITUS SUM. Id enim de

---

XXXIII. SI ENIM INVENI GRATIAM IN CONSPECTU TUO OSTENDE, MIHI GRATIAM TUAM. Cui Deus respondit: NON POTERIS VIDERE FACIEM MEAM, NON ENIM VIDEBIT ME HOMO, ET VIVET. Sed tamen videtur contrarium ex eodem loco indicari, nam LOQUEBATUR AUTEM DOMINUS AD MOYSEN FACIE AD FACIEM SICUT SOLET LOQUI HOMO AD AMICUM SUUM. Et *Num. XII.* SI QUIS FUERIT INTER VOS PROPHETA DOMINI, IN VISIONE ADPAREBO EI, VEL PER SOMNIUM LOQUAR AD ILLUM. AT NON TALIS SERVUS MEUS MOYSES: ORE ENIM AD OS LOQUOR EI, ET PALAM, ET NON PER AENIGMATA, ET FIGURAS DOMINUM VIDET. Verum ecquid contrarium ex hisce verbis colliges, quid est quod Deus *facie ad faciem*, *ore ad os* loquitur ad Mosen, nisi ita clare, et sine figuris, quemadmodum loqui solent amici invicem inter se? Id quidem ex adductis locis eruitur, non vero Mosen intuitiva visione Deum vidisse. Quemadmodum et *Deuteronom. I. cap. V.* de Israelitis dicitur: FACIE AD FACIEM LOCUTUS EST VOBIS IN MONTE, DE MEDIO IGNIS, sed

Deo nunc cognoscere possumus quia est, et quod caussa aliorum est, et aliis supereminens, et ab omnibus remotus, atque haec in ista peregrinatione est ultima, et perfectissima nostrae cognitionis meta, quam ultra progredi datum non est. Quare Apostolus idem

quid quaeso? an Deum intuitive viderint Israelitae? numquam quidem ut enim habetur *cap. IV.* LOCUTUS EST DOMINUS AD VOS DE MEDIO IGNIS. VOCEM VERBORUM EIUS AUDISTIS, ET FORMAM PENITUS NON VIDISTIS. Merito hinc Nyssenus *Lib. IV. advers. haeres. cap.* 23. in Exodi locum ait: *non igitur manifeste ipsam faciem Dei videbant prophetae, sed dispositiones,, et mysteria, per quae incipit homo videre Deum.* Et memini ab Augustino laudari Athanasium, et Gregorium Nazianzenum, quos scripsisse ait, Deum Mosi, aliisque prophetis adparuisse *conspicabilis materiae dispositione assumpta, salva sua invisibilitate.* Idem sentiunt Epiphanius in *Haeres. Audianor.* et Chrysostomus passim contra Anomaeos. Dionysius vero *de Ecclesiast. Hierarchia* omnes illas adparitiones Angelorum ministerio factas adfirmat, quam sententiam ego potius teneo; siquidem Scriptura, quae sui ipsius interpres esse debet, non Deum a Mose visum, sed Angelum adserit, qui Deus proinde dicitur, quia Deum referebat. *Act. VII.* 38. Hic est MOSES QUI FUIT...CUM ANGELO, QUI LOQUEBATUR EI IN MONTE SINA.

aiebat: EX PARTE COGNOSCIMUS, ET EX PARTE PROPHETAMUS, CUM ERGO VENERIT QUOD PERFECTUM EST, EVACUABITUR QUOD EX PARTE EST.

II. Quod ipsum insuper ex Sanctis Patribus abunde evincitur, qui strenuissime Eunomianis restiterunt, nebulonibus nempe illis, qui per quartum saeculum Eunomio duce, se Deum naturaliter, pleneque cognoscere, et comprehendere contendebant. Contra quos stylum Ss. Patres acuerunt Epiphanius, Basilius, par Gregoriorum Nazianzenus, et Nyssenus, Ioannes Chrysostomus, qui praeclarissimas ad populum habuit homilias de incomprehensibili natura Dei; itemque Ambrosius, et Augustinus (35). Quid? quod Patrum quoque testimonia habemus, qui ante Eunomianorum exortam haeresim floruere, cuiusmodi sunt Irenaeus *Lib. IV. cap. XXIV. Videbitur*

(35) Eunomianorum errorem iam prope extinctum e cineribus suscitarunt Beguardi, et Beguinae, incerto duce in Germania exorti, anno plus minus MCCCVIII. ut ex ipsa eorum damnatione con tat in Viennensi Concilio an. MCCCXI. Legesis Clementinam *lib. V. tit.* 3. *de haeret. cap. III.* ubi proscripta refertur Beguardorum sententia: *quaelibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata; nec proinde lumine gloriae indiget: anima, ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.*

Deus in regno Caelorum, spiritu praeparante hominem Filium Dei; Et Origenes *Lib. I. de Principiis cap.* I. *Mens nostra ipsum per se Deum sicut est, non potest intueri.* Et Clemens Alexandrinus *Lib. V. Strom. Perspicuum est, nullum umquam vitae suae tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attingerint.*

III. Enimvero Deum per essentiam, sicuti nempe in se est, videre, non hominum tantum naturam trascendit, sed omnis cuiuscumque prorsus creaturae. Nam creata quaelibet natura, et ea quae supra se, et quae infra se sunt, nonnisi secundum substantiae suae modum cognoscit. Sed porro omnis cognitio, quae secundum substantiae creatae modum est, longe deficit a Divinae essentiae visione.

SCHOLION. Duplicem Dei cognitionem agnoscunt Theologi, *abstractivam* nempe, et *intuitivam*. Illam quidem per creaturas habemus, in quibus divinarum perfectionum vestigia sunt impressa, de qua Apostolus ad Romanos: INVISIBILIA IPSIUS A CREATURA MUNDI PER EA QUAE FACTA SUNT INTELLECTA CONSPICIUNTUR. *Intuitiva* vero cognitio est, per quam Deus in seipso cognoscitur. Porro Deum *abstractiva* cognitione naturae viribus cognosci, certum, ex-

ploratumque est. Proprium siquidem entis est, ut cognoscatur; quod enim cognosci nequit, impossibile dicimus. Deus vero quum sit ens perfectissimum, maxime omnium cognosci queit. Sed huiusmodi cognitio obscura est, et imperfecta, et potius quid non sit Deus, quam quid sit edocet. Quod autem ad Dei cognitionem pertinet *intuitivam*, vel eam ita spectes, ut clara quidem sit, et perspicua, sed tamen imperfecta, ita ut divinam essentiam non omnino adaequet, neque omnia, quae in essentia cognosci possunt, adtingat, vel eam ita intelligas, ut et divinam essentiam; divinasque perfectiones comprehendat, nihilque eorum, quae in Deo cognosci possunt, omittat; utravis eam accipies notione omnino viatoribus denegatur.

IV. Quamvis porro divinum lumen mentibus hominum adfulgeat; non tamen eiusmodi est, ut spiritualem oculum, intellectum nempe ad Dei claram excitet visionem, nec eiusmodi insuper ut phantasmata evertat, imaginesque huius mundi removeat, quae veluti nubes serenum mentis caelum obnubilant. Quamobrem nisi splendidissimus sol Deus procul hinc tenebrarum arceat alluvionem, quod in caelesti patria largiturum spopondit, tametsi cuncta eius lumine videamus, ipsum intueri non possumus; eodem ferme modo, quo in

spissa caligine adest quidem sol, cuius ope corpora cernimus, solis tamen lucidissimum orbem non intuemur. Praeclare hinc inquit S. Augustinus *Tract. XXXV. in Joan. Est quidem praesens divinus, ac lucidissimus sol, sed radius per obliqua, et per anfractuosa ad cor tenebrosum missus est.*

SECTIO II.

Gloriae lumine mens humana indiget, quo Deum videat.

I. Firmissimum igitur fidei dogma est, creatum intellectum non posse naturae viribus intuitivam Dei adsequi visionem. Sed ubi is superno gloriae lumine irradiabitur, tunc quidem Deum, ut in se est, intuebitur. Quare in *Ps.* XXXV. APUD TE EST FONS VITAE, ET IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN; et Ioannes in *Apocal. XXIII.* VIDEBUNT FACIEM EIUS, ET NON EGEBUNT LUMINE LUCERNAE, NEQUE LUMINE SOLIS, QUIA DEUS ILLUMINABIT EOS, ET REGNABUNT IN SAECULA SAECULORUM; et *Epist. I.* SCIMUS QUONIAM CUM APPARUERIT, SIMILES EI ERIMUS, ET VIDEBIMUS EUM SICUTI EST.

II. Id nimirum erit quum venerit Dominus, et illuminaverit occulta tenebrarum, quum mortalitatis huius, corruptionisque tenebrae transierint. Tunc erit mane nostrum, de quo dicitur in *Ps. V.* MANE ADSTABO TIBI ET VIDEBO. *Tunc similes ei erimus, quem videbimus* (inquit S. Gregorius Magnus *Homil. XXI. in Ezech.*) *Similes ei erimus; immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus, videndo vitam; mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilitatem; corruptione nulla teneb.mur, videndo incorruptionem.*

III. Verum ecquod huiusmodi supernum gloriae lumen sit, quo naturae finitae vires, nativa seposita per Divinam potentiam imbecillitate, ad Deum infinitum contemplandum adsurgant, non est cur longius inquiramus. Gloriae lumen Deus ipse est, intime beatorum animis praesens, easque movens, inlustrans, sublevans, ut clare ipsum intueri valeant.

SCHOLION. Quamvis de gloriae luminis necessitate nemo dubitet, lis tamen longe gravis est inter Scholasticos, cuiusnam id sit naturae. Patrum autem vestigiis nos insistimus, quorum si scripta excutias, illud certo constabit, lumen gloriae non esse, nisi vim quamdam supernaturalem, qua mens ad Dei

pulchritudinem intuendam roboratur. Alii tamen huiusmodi supernaturali auxilio Deum ipsum Beatis adsistentem innuere videntur, quos Cl. Petavius sequitur, quorumque sententiae Ethnicus, sed longe videns philosophus Plotinus praeluserat *Ennead. V. lib. III. Hic verus est animae finis lumen illud adtingere, et per ipsum intueri : non alterius inquam lumine contueri, sed per ipsummet, per quod et videt. Per quod enim illuminata est, idipsum est quod videri oportet.* Alii porro lumine gloriae Spiritus Sancti Personam indicari arbitrantur, singulariter Beatorum mentes ad videndam Divinam essentiam illuminantis, quorum sententiam tuetur, innumerisque testimoniis confirmat Cl. Ludovicus Thomasinus. Basilius hinc *Lib. de Spir. Sanct. cap. XVII. In lumine tuo videbimus lumen, nimirum in illustratione Spiritus Sancti videbimus Patris, et Filii gloriam.* Et Gregorius Nyssenus *Orat. in S. Stephan. Quemadmodum enim Spiritus Sanctus iustorum animas inhabitans, innumeris eas irrigat gratiarum donis, ita et supernaturali dono, quod Lumen gloriae adpellamus, beatas illustrat mentes, easque ad Deum, ut in se est, contuendum corroborat, atque praemunit.* Sanctus Thomas demum lumen gloriae evincere conatur non aliud esse, nisi augmen-

tum virtutis intellectivae: *Cum virtus*, inquit (*I. P. Quaest. XII. art. V.*) *naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet, quod ex divina gratia superaccrescat virtus intelligendi: et hoc augmentum virtutis intellectivae, illuminationem intellectus vocamus sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux; et istud est lumen, de quo dicitur Apocal. XXI.* 21. *quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem beatorum videntium Deum.*

SECTIO III.

In aeterna patria Dei essentiam Beati intuitive vident.

I. Summum bonum, summumque praemium, quod iustis in Sacris Tabulis promittitur, visio Dei est. HAEC EST VITA AETERNA, inquit Christus *Ioan.I.*17. UT COGNOSCANT TE SOLUM DEUM VERUM, ET QUEM MISISTI IESUM CHRISTUM. Quod effatum S. Joannes interpretari videtur *Io*: *I.* 3. CHARISSIMI, NUNC FILII DEI SUMUS, ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS: SCIMUS QUONIAM CUM APPARUERIT, SIMILES EI ERIMUS, QUONIAM VIDEBIMUS EUM.

II. Ex his enim duobus universa constat beatitudo, tum quod Deum intuebimur, qualis in natura sua, ac substantia est, tum quod divinae essentiae absque ullo medio coniuncti, *Deiformes*, ut loquitur S. Thomas, idest veluti Dii efficiemur. Quemadmodum enim ferrum igni admotum, ita ignem concipit, ut totum ignis videatur, servata licet propria substantia: sic mens humana Deum, ut in se est videns, ita Deitate permeatur, ac possidetur, ita amore divino inflammatur, ut quamvis eius natura servetur incolumis, nihil aliud quam Deus esse videatur (36). Opportune hinc S.

(36) Praeclarissime in hanc rem Tridentini Concilii Catechismus (*de XII. Symboli articulo cap. XIII. num.* 8.) « Hoc autem (loquitur enim de admirabili quadam et prope divina forma, quam Beati induunt Deum videntes) cur ita fiat, ex eo perspicuum est, quod unaquaeque res vel ex eius essentia, vel ex eius similitudine, et specie cognoscitur. At quoniam nihil est Deo simile, cuius similitudinis adiumento ad perfectam eius notitiam pervenire possimus: consequens est, ut eius naturam, et essentiam videre nemini liceat, nisi haec eadem divina essentia se nobis coniunxerit, atque id Apostoli verba illa significant *I. Cor.* 13. Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem; nam quod inquit: In aeni-

Gregorius Nazianzenus *Orat. XV.* de electis inquit : *Illos quidem lux omni sermone praestantior excipiet, et Sanctae regiaeque Trinitatis, purius iam, et clarius illuminantis,*

---

gmate; interpretatur sanctus Augustinus, in similitudine ad Deum intelligendum accommodata. Quod etiam sanctus Dionysius aperte ostendit, cum affirmat, nulla inferiorum similitudine superiora percipi posse. Neque enim ex alicuius rei corporeae similitudine, eius, quae corpore careat, essentia, et substantia cognosci potest, cum praesertim necesse sit, rerum similitudines minus concretionis habere, et magis spirituales esse, quam res ipsas, quarum imaginem referunt: quemadmodum in omnium rerum cognitione facile experimur. Quoniam vero fieri non potest, ut alicuius rei creatae similitudo aeque pura, et spiritualis, ac Deus ipse est, reperiatur: ita fit, ut ex nulla similitudine divinam essentiam perfecte intelligere possimus. Accedit etiam, quod omnes creatae res certis perfectionis terminis circumscribuntur: at Deus infinitus est, neque ullius rei creatae similitudo eius immensitatem capere potest. Quocirca una illa ratio divinae substantiae cognoscendae relinquitur, ut ea se nobis coniungat, et incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollat, atque ita idonei ad eius naturae speciem contemplandam reddamur. Id vero lumine gloriae assequemur, cum eo splendore illustrati, Deum lumen verum in eius lumine videbimus «.

totamque se cum tota mente miscentis, contemplatio ; in qua ego vel sola Regnum caelorum maxima ex parte positum esse censeo.

III. Fidei igitur veritas est, Deum in essentia sua a Beatis in aeterna patria videri ; quod et illo quidem Christi Domini testimonio confirmari amplius potest *Matth. XVIII.* Quod enim de Angelis inquit Veritas: ANGELI IN CAELIS SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS MEI, QUI IN CAELIS EST, de beatis etiam intelligendum est, de quibus ipsa veritas testatur *Mat. XXII.* 30. ERUNT SICUTI ANGELI DEI IN CAELO. Sed Graecorum, Latinorumque Patrum hac in re consensus (37)

(37) Mirari satis nequeo, qui factum sit, ut Graecae Ecclesiae singulare lumen et ornamentum S. Ioannes Chrysostomus a nonnullis inculpetur, quod Deum a beatis, immo et ab Angelis in sua essentia videri negaverit. Sed avertat Deus id scelus a nobis, ut Sanctissimum Patrem vel in minimo verbo peccasse credamus. Is enim Deum intuitive a Beatis videri luculentissimis verbis docuit in *Homil. LXIX. quid dicetur, quando ipsa veritas aderit? quando apertis regiis aedibus ipsum regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem, non ultra per fidem, sed per speciem?* Sane quid clarius hoc Chrysostomi testimonio ? quid verius ? Non inficior equidem a Chrysostomo adsertum non solum prophetas, sed

accedit, quorum agmen Sanctus Irenaeus ducit *Lib. IV. cap.* 20. qui de clara, et perspicua Dei visione beatos vivere adfirmat: *Vivere enim sine vita impossibile est: subsistentia vitae a Dei participatione venit, participatio autem Dei est videre Deum, et frui de benignitate eius: homines igitur videbunt Deum ut vivant, per visionem immortales facti, et pertingentes usque ad Deum.*

IV. In eadem sententia est Clemens Alexan-

---

nec Angelos, nec Archangelos Deum vidisse, et huiusmodi similia, sed quibus in orationibus id docet, nisi in iis, quae inscriptae περι του ακαταληπτου *de incomprehensibili*? Quare de Dei comprehensione, quam prophetis, et Angelis, et Archangelis merito negat, non de Dei intuitiva visione loquitur, quam adpositis verbis beatis adsignat. Quid quod et S. Pater in eo totus erat, ut evinceret, Deum a nemine umquam comprehendi contra Anomaeos, *qui*, ut idem Doctor ait in *Hom. II. adv. Anomaeos*? *se ita nosse Deum asserunt, quemadmodum Deus ipse se novit.* Quae, quum ita profecto sint, illud velim ut το ακατανοητον *imperceptibilem*, αορατον *inadspectabilem*, ανεξιχνιαστον *impervestigabilem*, non alio sensu intelligas, quam si *incomprehensibilem* diceret. Utinam clarissimi Theologi Vasquesius (*in T. P. S. Tom. disp.* 37. *cap.*2.) et Garnerius attentius quidem et diligentius, quae Chrysostomus docuit, perpendissent!

drinus *Strom. lib. V. perspicuum est enim, nullum umquam vitae suae tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem adtigerint.* Quod et S. Cyprianus confirmat tum alibi saepe, tum disertius in *Epist. LVIII. Quae erit gloria, et quanta laetitia admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias, cum iustis et Dei amicis in regna caelorum, datae immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.*

V. Accedit S. Gregorius Nazianzenus, cuius praeclarissimum locum ex *Orat. XV.* supra adtulimus, cui similia habet in *Orat.* XX. Quum enim quaesivisset an ullus umquam cogniturus sit, cuiusmodi sit natura, et substantia Dei, subdit: *Mea quidem sententia tunc reperietur, quum Dei forma hoc ac divinum, idest mens nostra, et ratio cum natura cognata coniuncta fuerit, et imago ad archetypum ascenderit, cuius desiderio tenetur.*

VI. Graecis Patribus Latini consentiunt. S. Hieronymus *Lib. I. in Isaiam cap.* 1. *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transforma-*

mur a gloria in gloriam, *tamquam a Domini spiritu* ; *licet faciem iuxta naturae suae proprietatem nulla videat* (comprehensiva sc. visione) *creatura*, *et tunc mente cernatur*, *quando invisibilis creditur.* Quod ipsum millies Augustinus evincit, potissimum in *Epist. CXLVII.* et in *Lib.* XXI. *de Civit. Dei cap.* XXIX. quo loco Apostoli verba, TUNC AUTEM VIDEBIMUS FACIE AD FACIEM, sic interpretatur, *videre faciem Dei*, *est videre Deum sicuti est*, idest in sua essentia. Et ibid. *lib.* XXII. *cap.* XXIX. *praemium itaque fidei nobis visio Dei servatur.*

VII. Idem habet Sanctus Gregorius Magnus, cuius locum supra recitavimus ; et Bernardus *Serm. IV. in Fest. omn. Sanct. In hoc enim erit vita aeterna*, *ut cognoscamus Patrem*, *et Filium cum Sancto Spiritu*, *et videamus Deum sicuti est*, *idest non modo sicut inest nobis*, *aut ceteris creaturis*, *sed sicuti est in semetipso.* Haec quum clarissima sint, et Sacrorum Librorum auctoritate, Patrumque testimoniis abunde firmata, iure in haeresim incidere arbitramur, qui secus sentit ; potissimum ubi accessit Ecclesiae definitio in Constitutione *Benedictus Deus* an. MCCCXXXVI. Idib. Febr. per Benedictum XII. et Concilii Florentini sententia in *decreto unionis* cum

Graecis anno MCCCCXXXVIII. *animas* nempe *iustorum purgatas, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum, trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.*

Sectio IV.

Beati inaequaliter Deum vident ex meritorum diversitate.

I. Qui parce seminat, parce et metet *II. ad Cor. IX.* Ut enim merita hominum in terrena hac peregrinatione inaequalia sunt, ita et praemia in aeterna patria inaequalia erunt. Quamobrem UNUSQUISQUE PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECUNDUM SUUM LABOREM *I. ad Cor.* III. 8. Sed quae ista merces est, nisi visio Dei, in qua aeternae beatitudinis summa posita est, de qua Propheta *Ps. VI.* SATIABOR CUM APPARUERIT GLORIA TUA? Atque hanc quidem mercedem aequalem omnibus non esse, Christus Dominus docet *Ioan. XIV.* 2. IN DOMO PATRIS MEI MANSIONES MULTAE, et ideo multae, quod etiamsi omnes sint in regno, non easdem tamen omnes consequentur. Et *Math.* XX. QUI VULT INTER

VOS MAIOR ESSE, SIT OMNIUM MINIMUS. Sed si omnes aequales futuri simus in caelo, cur a Christo Domino hic commendatur humilitas, ut ibi possimus esse maiores?

II. Jovinianus attamen, quum in Stoicorum philosophia versaretur, et hominum opera cum bona, tum mala, aequalia esse contenderet, ex falsi principii consequutione deblaterabat, unum idemque futurum, et malis supplicium, et bonis praemium (38). Sed

(38) Delirus iste, et pessimus omnium, quum per spinas diu ambulasset, per ieiunia nimirum, et per corporis macerationem, monasticam exosus vitam, non ante cucullum deposuit, quam omni illecebrarum, voluptatumque generi se mancipasset. Mediolano hinc, ubi suae vitae austeritas praedicabatur, relicto, ad dioecesim Romanae urbis, Pontifice Siricio, anno P. M. CCCLXXXII. venit, ibique errores nefandissimos evomuit. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus invictissime ei restiterunt, et coacto tum Romam per Siricium P. M. tum Mediolanum per Ambrosium Episcopum, Concilio an. CCCXC. condemnatus est. Confer sis Ambrosii *Epist.* LXXXII. Quid porro de Ioviniano fuerit, et de gregalibus suis, aperte habeas ex Honorii Imperatoris Lege *Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. X. de Haeret. Leg. LIII.* ad Felicem Praefectum Urbi. *Jovianum* (sic) *sacrilegos agere conventus ex-*

insanum hominem divexavit S. Hieronymus. de quo Augustinus in *epist. CLXVII. ad Hieronym. Hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani*: *quam eorum*

---

tra muros urbis sacratissimae , Episcoporum querela deplorat. Quare supramemoratum corripi praecipimus , et contusum plumbo , cum ceteris suis participibus et ministris , exilio coerceri. Ipsum autem machinatorem in Insulam Boam festina celeritate deduci ; ceteris , prout libuerit , dummodo superstitiosa coniuratio exilii ipsius discretione solvatur , solitarii , et longo spatio inter se positis insulis in perpetuum deportatis. Dat. Prid. Non. Mart. Med. Honorio IX. et Theod. V. AA Coss. anno nimirum CCCCXII. Sed illud adnotandum , per oscitantiam fortasse exscriptorum irrepsisse Mediolani sedem in subscriptionem legis, nam Consularia Theodosiana edocent, Honorium per haec tempora non substitisse Mediolani. Atque haec vel ideo edixi , ne ut sedis subscriptionem , ita et legem ipsam falsam putes. Sed ea longe maior difficultas enodanda remanet , Iovinianum iam ante XII. annos mortuum , anno nempe CCCC. a Hieronymo dici in *Lib. adv. Vigilantium.* Haec miror non adnotasse Cl. Gothofredum in *dict. Leg.* Fortasse arbitror irreptitiam esse integram subscriptionem. Plura dicere ab instituti ratione prohibeor.

vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem voluptatibus Epicureus, de Scripturis Sanctis dilucidissime convicisti.

III. Ne porro luculentam adeo rem, et luce ipsa clariorem, in dubitationem aliquam adducere perversissimus quis audeat, consentientium Patrum opponimus auctoritatem. Irenaeus *Lib. IV. cap. XIII. Quanto plus Deum dilexerimus; eo maiorem ab eo gloriam accipiemus.* Tertullianus item, in *Scorpiace cap. VI. Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?* Et Sanctus Chrysostomus *Hom. XLI. in epist. 1. ad Cor. Quid ergo discimus? quod etiamsi omnes sint in Regno, non omnes tamen eadem consequentur, et iisdem fruentur: etiamsi omnes peccatores in gehenna, non omnes eadem sustinebunt.* Mitto Ambrosium, Hieronymum, et Augustinum, quorum acerrimae, doctissimaeque disputationes in Iovinianum nemini non notae sunt. Quibus omnibus veluti pondus accedit Florentini Concilii definitio *in Decreto unionis: Sanctorum animas in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, pro meritorum diversitate, alium alio perfectius:* Et Tridentinum anathema *Ses. VI.*

cap. XXXII. in eos qui dixerint, *hominem iustificatum non mereri gloriae augmentum per bona opera sua.*

IV. Verumtamen perfectae Sanctorum beatitati nihil ista Dei visionis inaequalitas adversatur. Nam tantum accipit unusquisque, quantum capit. Nimirum licet de voluptatis torrente pro diverso caritatis aestu alii aliis uberius bibant; quum tamen quantum quisque capit, tantum bibat, aequalis certe hinc est omnium èt securitas, et satietas, et plenitudo, et aequalis item ipsa quodammodo beatitudo. Quocirca nulla umquam in iis inveniri poterit anxietas, quum nemo plus capere possit, quam capere valeat. Si anxietatatem, et desiderium non invenies, nec certe invidiam inter beatos invenies. In corpore enim oculus non desiderat esse digitus, neque digitus oculus, nec unus alteri invidet. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat ne velit amplius.

V. Tanto enim inter se amoris glutino beatae illae mentes compaginantur, ut omnium sint, quae singularum sunt; nec minus de aliarum, quam de sua beatitate hilarescant. Ita fit ut quantam quisque beatus felicitatem non capit in se, capiat in aliis, nec sua tantum, sed aliarum etiam omnium felicitate

felix sit. Quod ipsum mirum quantum Sanctus Augustinus explicat in *Tract. LXVII. in Ioan. Ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.*

VI. Nullum hinc sibi adversarii quaerant munimentum ex Christi parabola *Matth.* XX. de operariis in vineae culturam conductis, qui licet diversis horis vocati, et inaequaliter laboraverint, unam tamen eamdemque mercedem acceperunt. Siquidem certum est, denario illo, qui mercedis loco operariis datus, ipsam vitam aeternam significari. De qua re adstipulatores habemus locupletissimos, Hieronymum, et Augustinum in *Serm.LVIII. de verb. Dom. cap. IV. Denarius ille vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt, quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius maius, alius minus, quod tamen ad vitam aeternam adtinet, aequalis erit omnibus, non enim alteri longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Et in *Tract. LXVII. in Ioan. Quo utique denario vita significatur aeterna,*

ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in caelo mensura. Duobus tamen verbis rem praeclare conficit Hieronymus *Lib. II. contra Iovinianum : Unus denarius, non unum est praemium, sed una vita, et una de gehenna liberatio.*

VII. Eodem ferme modo parabolam enodavit S. Ambrosius *Lib. VII. in Luc. cap. XV. Aequalem dignaris mercedem solvere, aequalem mercedem vitae, non gloriae.* Sed dignissimus omnium, qui audiatur Gregorius Magnus: *Quanti Patres ante legem, quanti sub lege fuerunt; et tamen hi qui in Domini adventu vocati sunt, ad Caelorum regnum sine aliqua tarditate pervenerunt. Eumdem ergo denarium accipiunt, qui laboraverunt ad undecimam, quem expectaverunt toto desiderio qui laboraverunt ad primam; quia aequalem vitae aeternae retributionem sortiti sunt cum his qui a mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi termino ad Dominum venerunt.*

Sectio V.

Beati Deum in aeterna patria vident, non comprehendunt.

I. Quamvis in aeterna Patria Deum ut in se est, Patrem, et Filium, et Spiritum

Sanctum beati perspicue videant, non tamen id omne quod in Deo est, plenissima atque integra visione adsequuntur, et ut pressius dicam non comprehendunt eum, qui *Ierem. XXXII.* MAGNUS EST CONSILIO, ET INCOMPREHENSIBILIS COGITATU. Comprehendere enim est, quum quid ex toto cognoscimus, et cognitione omnium clarissima magnitudinem illius adaequamus. Quare Deum comprehendere idem esset ac illius agendi vim infinitam, et omnipotentiam plene ac perfecte cognoscere, simulque creatas res omnes, quae sunt, fuerunt, vel erunt, et quae ab ipso produci possunt, intelligentia capere. Effectis enim omnibus Omnipotentiae comprehensis, ipsa comprehenditur virtus Dei, et omnipotentia, et magnitudo.

II. Quum porro Dei vis, et omnipotentia, quae Deus ipse est, quippe rerum omnium futurarum, et possibilium caussa, infinita sit, numquam certe ab intelligentia creata, quae finita est, comprehendi potest. Quamobrem dicendum a beatis clare, ac perfecte Deum infinitum cognosci, sed modo finito. Quod quomodo fiat, praeclarissime explicat Epiphanius *Haeres. LXX. Veluti si quis per angustum foramen caelum adspiciat, ac dicat: video caelum: non utique mentiatur;*

videt enim revera caelum. Quod si quis prudenter ei dicat ; non vidisti caelum : neque iste mentietur. Tam enim qui ait vidisse, non mentitur, quam qui ei dicit, non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem. Utrumque ergo vere dicitur, et quod Deus videndus aliquando sit (intuitiva visione), *et quod videri non possit* (comprehensiva visione). Sic qui ex alto montis cacumine, inquit idem Epiphanius, mare prospicit, utique verum est vidisse mare, sed anne universam maris extensionem viderit, eiusque recessus ?

III. Deum igitur a beatis haudquaquam comprehendi dogma fidei sanctissimum est(39). Hinc *Jobi XI.* 7. FORSITAN VESTIGIA DEI COMPREHENDES, ET USQUE AD PERFECTUM OMNIPOTENTEM REPERIES ? EXCELSIOR CAELO EST, ET QUID FACIES ? PROFUNDIOR INFERNO, ET

(39) Caveat hac in re quisque Vasquesium qui in *I. P. Disp. LII. cap. II.* Dogma fidei esse arbitratur, Deum a viatoribus comprehendi non posse, non autem si de beatis sermo sit. Mirum hinc est quam libere Scripturarum, Patrumque testimonia eludere conetur. Ex tanta licentia, nisi cohibeatur, quot mala in sacram doctrinam non redundabunt ?

UNDE COGNOSCES? LONGIOR TERRA MENSURA EIUS, ET LATIOR MARI. Et Paullus Apostolus *ad Romanos XI.* 23. O ALTITUDO DIVITIARUM SAPIENTIAE, ET SCIENTIAE DEI, QUAM INCOMPREHENSIBILIA SUNT IUDICIA EIUS!

SCHOLION. Quod si comprehensionis nomen pro eius boni adsequutione accipiatur, quod persequuti maximopere antehac sumus, sane hac notione beati Deum comprehendunt, perspicue contuentur, eoque fruuntur. Ita nempe intelligendus Apostoli locus in *Epist. ad Philippenses cap. III.* NON QUOD IAM ACCEPERIM, AUT IAM PERFECTUS SIM: SEQUOR AUTEM SI COMPREHENDAM IN QUO ET COMPREHENSUS SUM A CHRISTO IESU. FRATRES EGO ME NON ARBITROR COMPREHENDISSE: Quo loco cursorum exemplo se ad beatae immortalitatis praemium contendere ostendit Apostolus, et in ea adprehendenda totum esse.

IV. Sed ad constabiliendum dogma consensus Patrum accedit, quorum innumera prorsus, et luculentissima testimonia adferre possem, nisi res tam certa esset, quam quae maxime. Nullus enim ignorat, quanta eruditione, quantoque robore id argumentum tractaverint Chrysostomus, Ambrosius, ambo

Gregorii Alexandrinus , et Hierosolymitanus , Hieronymus item , et Augustinus , ut Anomaeorum confringerent audaciam , qui Deum comprehendi posse effutiebant. Omnium instar unum Augustinum audiamus *Serm. CXVII. de verb. Dom. cap. III. De Deo loquimur, quid mirum si non comprehendis ? si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiae magis , quam temeraria professio scientiae : Attingere aliquantum mente Deum , magna beatitudo est : comprehendi autem omnino impossibile* (40).

---

(40) Hoc sensu Deum a beatis , sive Angelis, sive hominibus non videri , S. Ioannes Chrysostomus , Theodoretus , aliique nonnulli Graeci Patres dixerunt , id est plena et perfecta cognitione , cuiusmodi est illa , qua se Deus ipse cognoscit, quamque sibi adrogabant Anomaei haeretici , quos vel ex instituto , vel occasione data refellunt. Negant Angelis Dei *comprehensionem , ac tantam , quantam Filii notitiam habet Pater ,* quoniam *Deus a nulla re creata comprehendi potest*, ut loquitur Chrysostomus *Hom. XV. in Joan.* et *Orat. III. contra Anomaeos*. Edicunt Angelos Divinam substantiam non videre , *quae neque circumscribi potest , neque comprehendi , neque cogitatione sepiri , et universa complectitur* : ut loquitur Theodoretus *Dialog. I.* Sed Divinam essentiam ad captum creaturae adtemperatam , clara ac perspi-

V. Deum igitur omnino incomprehensibilem fateamur oportet; quod et definitum a Patribus Lateranensis Concilii IV. sub Innocentio II. P. M. qui Catholicis omnibus id credendum proposuere: *unum esse Deum, aeternum, immensum, incomprehensibilem.* Itemque in Concilio Basileensi an. MCCCCXXXV., in quo Augustini de Roma (41) damnata est propositio: *anima Christi videt Deum tam clare, et intense, quantum clare, et intense Deus videt seipsum.* Quod si Christi anima divinitatem non comprehendit, quomodo comprehendent beati? Et quidem a beatis non loco comprehenditur Deus, qui nullo spatio concluditur; non comprehenditur tem-

cua cognitione ab Angelis, et a beatis videri non inficiantur, de quibus scriptum est; Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in Caelis est.

(41) Is est Augustinus Favaronius de Roma, Archiepiscopus Nazarenus, summae pietatis vir, qui scripta sua omnia Concilii iudicio subiecerat, in quibus is tantum proscriptus error, quod perfectam Deitatis comprehensionem animae Christi tribuerit; nullam tamen is damnationem passus est, quin in Ecclesiae sinu ingenti virtutum, et sanctitatis fama anno abiit plus minus MCCCCXLV. Eiusdem erroris S. Fulgentius a Cl. Petavio accusatus. Confer eumdem *Lib VII. de Deo cap. IV.*

pore, qui aeternus est, et omnia tempora excedit; non intelligentia, qui infinitus est, et finitum intellectum exuperat; non denique amore, quum Deus sit ipsa bonitas.

SECTIO VI.

Iusti plene purgati statim post mortem Dei visione fruuntur.

I. Fide sanctum est, iustos, quibus terrena functis peregrinatione nihil superest eluendum, non amplius per fidem ambulaturos, sed per speciem; nimirum visuros Deum non amplius per speculum, et in aenigmate, sed facie ad faciem. Inquit enim Paullus Apostolus *II. ad Corinth. V.* SCIMUS QUIA SI TERRESTRIS DOMUS NOSTRA HUIVS HABITATIONIS DISSOLVATUR, AEDIFICATIONEM EX DEO HABEMUS, DOMUM NON MANUFACTAM, AETERNAM IN CAELIS. Terrestris porro domus nostra corpus est, quo per mortem dissoluto anima domum aeternam in caelis, id est, caelestem beatitatem, si tanto digna sit bono, statim consequitur.

II. Ingemiscimus hinc gravati, ut idem Apostolus subdit, dum in hoc tabernaculo immoramur, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est

à vita. Scientes quoniam dum sumus in corpore peregrinamur a Domino, et in umbris fidei ambulantes Dei conspectu frui pro conditione mortalis huiusce vitae prohibemur. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, rebusque eximi humanis, ut in beatificam Dei visionem admittamur. Ubi sunt qui post diem iudicii, post nempe corporum resurrectionem beatam vitam differri contendunt? Inquit Apostolus *ad Philippens. I.* CUPIO DISSOLVI ET ESSE CUM CHRISTO. Quid vero properabat dissolvi, si post resurrectionem tantum, et non statim post mortem corporis Deo fruiturus esset? Sed longe locupletissimum testimonium ab ipsa veritate, a Domino Christo habemus, qui beatitudinem Latroni statim ac obiisset promisit.' *Luc. XXIII.* HODIE MECUM ERIS IN PARADISO.

III. Quamobrem uno ore Graecae, Latinaeque Ecclesiae Patres Catholicum dogma confirmant. Gregorius Nyssenus *Orat. funebr. in Pulcher. Doles*, inquit, *quod illa corporis pulchritudo non amplius videatur: non enim veram illius animae pulchritudinem intueris; quae nunc in Caelo, conventu caelestium exultat . . hinc avulsa est planta, verum in paradiso consita, a regno in regnum translata est; quam pulcher ille oculus est*›

qui Deum conspicit. Idem habet Gregorius Nazianzenus in *Orat. X.* de Caesario fratre vita functo, quem ait *penetrasse caelum, et magno Regi adsistere, et emicante inde lumine compleri.* Quod et repetit in *Orat. XI.* de Sorore sua Gorgonia, et in *Orat.* de S. Philogonio: *Deum vident omnes quantum capere possunt, tum praesentem, tum splendore maiestatis suae omnes, qui cum eo sunt, collustrantem.* Inter Latinos vero Patres dignus qui audiatur Cyprianus in *Exhortat. ad Martyr.* ubi ait, *Martyres claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus.* Augustinus vero eos redarguens, qui Ioannem Apostolum adhuc viventem in sepulcro falso dormire adfirmabant: *Consentaneum*, ait, *non esse, ut ei discipulo, quem diligebat prae ceteris, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum, cum Beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam a pondere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quod Paullus Apostolus se concupire dixit.*

IV. Firmissimam veritatem in universa Ecclesia semper creditam (42) Concilium Lug-

---

(41) AVCTARIVM
VETERUM MONUMENTORUM
Quibus Sanctum Dogma confirmatur.

dunense calculo suo primum definivit anno MCCLXXIV. Sed ut ratum, ac universale

---

Non aliunde uberius, et nobilius evinci potest constans in universa Christi Ecclesia sancti dogmatis fides, quam ex vetustis Christianorum monumentis. Litteratus cippus Neapoli apud Hadrianum Guilielmum, teste Fabretto *Inscr. Domest. p.* 567. *num.* 116. HIC REQUIESCIT FIRMICA FILIA DEP. IN PACE QVAE VIXIT ANNOS PLVS MINVS XX. ET AD SVPEROS MVNDA TRANSIIT CVIVS ANIMA IN PACE REQUIESCAT. Mediolani in arca marmorea ap. Gruterum *p. MLI.* 2.

A P Ω

X

Cervia quae fidei vexit fondamina seclo
Terdenos aevo binos quater attulit annos
Lacta doliq. expers culpa procul impigra honesta
Astrigeram secat alma viam caeloq. recepta
Hic vitae metas et inania membra reliquit
Dep. Pridie Nonas Ianuarias

Romae in Cryptis Vaticanis sarcophagus Iunii Bassi extat cum inscriptione: IVN. BASSVS QVI VIXIT ANNIS . . . IIT AD DEVM VIII. KAL. SEPT. Item Viennae Delphinatus marmor litteratum: IN HOC TVMVLO CONDITVR SEVERIANVS ANIMA AD AVTHOREM D̃M REMEANTE TERRENA MEMBRA TERRIS RELIQVIT cet. Sic et in monumento apud Aquas Sextias, quod Cl. Maffeius in *Antiq. Galliae*

fidei dogma universae Catholicae Ecclesiae **in Benedicti XII.** Constitutione ***Benedictus Deus***

Epist. XX. num. 18. in hunc modum refert: HIC IN PACE QVIESCIT ADIVTOR QVI POST ACCEPTAM PAENITENTIAM MIGRAVIT AD DM. AN. LXV. MENS. VII. DIES XV. DEPOSITVS SD. VIIII. KAL. IANVAR. ANASTASIO V. C. CONSVLE. Item in Coemeterio Iotrensis Ecclesiae ap. Mabillonium in *Act. Ord. S. Benedict. ad an. DCLX.* perantiquum monumentum beatae Theodiechieldis, in quo praeter alia haec, quae dogma confirmant, habentur: POST METAM HVIVS AEVI EXVLTAT PARADISI ADEPTA TRIVMPHOS. Sed alterum luculentissimum sancti dogmatis testimonium habemus in Epitaphio Sanctae Marcellinae Sororis S. Ambrosii Mediolan. ap. Baronium *ad ann. CCCLXXXIII.* et ap. Gruterum *p. MLV.* 6. aliquantulum diverse, cuius hi postremi versus:

Corporis haec domus est nam te pia virgo supernum
Accipit imperium placidae post munera mortis
Aeternae Christus pretium tibi destinat aulae
Praemia dans castis intactae matris honorem
Te medius Iuli transcendit fervide cursus
Et te Virgo tuus transvexit ad aethera sponsus

Accedit alterum monumentum Carpentoracte ad tumulum Episcopi Airaldi apud Muratorium *p. MDCCCXXIV.* 5.

ostentatum est anno MCCCXXXVI. Cui praeterea definitio accessit Concilii Florentini sub Eugenio IV. anno MCCCCXXXIX. et Concilii demum Tridentini *Sess. XXV. de Invocat. Sanct.*

Artus Airaldi redolent velut unccio nardi
Hic praesul verus paradisi munus adeptus
Pridie sub Marci finem scitote Kalendas
Amen

Millena porro huiusmodi monumenta Romae habemus, quae longum esset vel numerare dumtaxat. Unum et alterum indicabo. In Coemeterio Callixti ap. Marangonium, inscriptionis fragmentum; HIC QVIDEM CORPVS TVVM TELLVS ET ANIMAM TVAM LVX VERO CAELI PVLCHRA DECORE TVO IPSOQVE DEO ... Et in Coemet. S. Helenae; MAVRENTIVS MAVRENTIAE FD. QVE VIXIT ANNIS V. MENSES XI. DIES DVO DIGNA INTER SANCTOS DEVS IVSSIT IN PACE F. ✻. Et in Coemet. Priscillae: ΕΙΟΥΛΙΑ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΑΓΙωΝ id est *Julia in pace cum Sanctis.*

Sed praeterea e re Liturgica innumera ad manus habeo locupletissima de Sancto Dogmate testimonia. In lib. III. Sacramentarii Gelasiani in *Orat. post obitum hominis num. XCI.* apud Eminentis. Thomasium *tom. VI. p.* 216. *Suscipe Domine animam servi tui* (illius) *revertentem ad te; vestem caelestem indue eam, et lava eam sanctum fontem vitae aeternae, ut inter gaudentes*

V. Plura tamen Scripturae testimonia ad dogma labefactandum Calvinus opponit *Instit. lib. III. cap. XXV.* potissimum vero argumentationis summam ex postremi iudicii descriptione *Matth. XXV.* desumit, nullamque contendit ante illum diem vel gloriae, vel

---

gaudeat, et inter martyres coronatos consedeat, et inter Patriarchas, et Prophetas proficiat, et inter videntes Deum facie ad faciem videat. Eodem modo in Missali Gothico in *Missa S. Andreae Apost. in collectione ante Orationem Dominicam:* ap. Mabillon. *de litt. Gal. lib. III. p.* 222. *Deus, qui sanctos Apostolos tuos, exemptos ab huius saeculi fluctibus, angelicis iussisti coetibus aggregari, cet.* Haec sane exempli instar sufficiant. Verum et alteram monumentorum struem ex actis martyrum huc possem transferre. Omnium at nobilissima est adloquutio S. Polycarpi Smirnensis Episcopi, et Ioannis Apostoli discipuli, iam iam in ipso Martyrii agone, ex *Actis S. Polycarp.* quae ex Cod. MS. cum edit. Vsseriana conlatis adornavit, notisque illustravit Cl. Ruinartius *p.* 28. *Deus qui me dignum hac passione duxisti . . . ut completo sacrificio istius diei promissa tuae veritatis adcipiam. Ob hanc rem te benedico* ... Quam vel ideo adtulisse praestat, ut omnes videant, Smyrnensem Episcopum credidisse, iustos plene purgatos post terrenam peregrinationem in aeternam beatitatem admitti. Ubi sunt qui Polycarpum veluti millenarium accusant?

poenae factam retributionem. ET CONGREGABUNTUR ANTE EUM OMNES GENTES, ET SEPARABIT EOS AB INVICEM, SICUT PASTOR SEPARAT OVES AB HOEDIS, ET STATUET OVES QUIDEM A DEXTRIS SUIS: HOEDOS A SINISTRIS. Tunc igitur primum, Calvinus ait, segregabuntur electi a reprobis, erant enim antea simul commixti. Tunc dicet Dominus his, qui a dextris eius sunt: VENITE BENEDICTI PATRIS MEI, POSSIDETE PARATUM VOBIS REGNUM A CONSTITUTIONE MUNDI. Venire ad regnum iubentur electi, non redire, ante iudicii diem ergo non venerunt. *Possidete*, non enim antea possederunt, *paratum vobis*, non igitur antea conlatum, *Regnum*. Eodem modo reprobos iubet in ignem aeternum discedere *paratum* diabolo, et angelis eius. Denique dicitur: ET IBUNT HI IN SUPPLICIUM AETERNUM, IUSTI AUTEM IN VITAM AETERNAM, neque ante illum diem igitur in supplicium ivere reprobi, neque iusti in vitam aeternam admissi.

VI. At in luce lucem non videt Calvinus; eaque non videt, quae et caeci vident. In fine enim mundi, in postremo nimirum iudicio segregabuntur electi a reprobis, non quod antea inter se commixti, sed quod tunc pri-

mum segregatio fiet, non animarum, quae iam facta, sed corporum, quae modo confusa sunt. Segregabuntur igitur electi in carne excitati a reprobis item in carne suscitatis. In *paratum regnum* caelorum ibunt electi, *paratum* nempe electis quoad corpora, non quoad animas, quae iam antea aeternam beatitatem possidebant. *Venite benedicti*, Christus dicet electis, reprobis vero *discedite maledicti*, non quod illi antea non iverint, nec hi antea non discesserint, sed quod tunc primum ibunt illi corpore resumpto in vitam aeternam, tunc primum discedent hi corpore resumpto in ignem. Quamobrem quae in Scripturis ad postremum iudicium referuntur, nimirum et recitatus Matthaei textus *XXV.* itemque ambae parabolae *Matth. XIII.* de zizaniis, quae cum tritico crescunt, in consummatione vero saeculi separabuntur, et de sagena, quae omne genus piscium congregat, et demum quae Apostolus habet *II. ad Timoth. IV.* homines respiciunt in anima et corpore, non animas solas, quae statim post dissolutionem corporis iudicii sortitae erant sententiam.

VII. Perfectam igitur, et consummatam beatitatem, iusti non consequuntur ante resurrectionem, sive quod naturali corporis recipiendi desiderio animae beatae quodammodo

retardentur, ne tanto impetu ferantur in Deum, ut inquit Augustinus *Lib. XII. de Genes. ad litter. cap. XXXV.* sive quod sine corpore laborum omnium, et meritorum commilitone, absoluta, et perfecta illarum felicitas esse non valeat. Ideo Martyrum animas S. Ioannes vidit sub altari clamantes *Apocal. VI.* USQUEQUO DOMINE SANCTUS, ET VERUS NON IUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM DE IIS QUI HABITANT IN TERRA? ET DATAE SUNT ILLIS SINGULAE STOLAE ALBAE, ET DICTUM EST ILLIS UT REQUIESCERENT ADHUC TEMPUS MODICUM, DONEC COMPLEANTUR CONSERVI EORUM. Vidit sub altari, sed in Coelo, stantes nempe ante thronum Dei, et in conspectu agni; sub altari, idest sub Christo, sed tamen cum Christo regnantes. Datae sunt illis singulae stolae. Stola prima, est felicitas, et requies animarum, et visio Dei, secunda vero, immortalitas et gloria corporum. Primam iam acceperunt Sancti; alteram non recipient quousque receperint corpora. Unde Apostolus Paullus *ad Hebr. XI.* de Patriarchis, et Prophetis ait; ET HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI, NON ACCEPERUNT REPROMISSIONEM, DEO PRO NOBIS MELIUS

ALIQUID PROVIDENTE, UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR. Quod enimvero ad perfectam atque consummatam beatitudinem referri verba ipsa indicant. *Nec enim* (Bernardus inquit *Serm. III. in fest. Omn. Sanct.*) *praestari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam.*

VIII. Alterum at bellum sanctissimo dogmati Cerinthiani Chiliastae intentant (43), mil-

(43) Praeter alia haeresum portenta, id etiam, tamquam ab Angelis revelatum, venditavit Cerinthus an. P. M. LXXX. post resurrectionem carnis Christum per mille annos in terris regnaturum apud Hierosolymas, iustis inter cupiditates, voluptatesque carnis versantibus. Asseclas habuit innumeros, qui passim Cerinthiani ab auctore, Chiliastae vero, et Millenarii ab impio dogmate audiunt. Sed tantum erroris monstrum Sacris Scripturis omnino adversari, non est cur moneam. Christus ait *Lucae.* XX. 34. FILII HUIUS SAECULI NUBUNT, ET TRADUNTUR AD NUPTIAS, ILLI VERO QUI DIGNI HABEBUNTUR SAECULO ILLO, ET RESURRECTIONE EX MORTUIS NEQUE NUBENT, NEQUE DUCENT UXORES, NEQUE ETIAM ULTRA MORI POTERUNT, ex quo apertissime constat, nullas post resurrectionem esse corporales delicias. Uberiora habes

lenarium nescio quod Christi regnum in terris suadentes ex *Apocalyps. XX.* ubi Ioan-

testimonia *Matth. XXII.* 30. et *I. ad Corinth. XV.* 44. et *ad Rom. XIV.* 17. Regnum enim Christi, regnum aeternum. *Luc. I.* 33. CUIUS REGNI NON ERIT FINIS, quod Symbolo etiam Nicaeno additum a Patribus Constantinopolitanis. Hinc millenariorum deliramentum, ut puram putam Iudaeorum fabulam antiquissimi Ecclesiae Patres exploserunt. Saeculo secundo Caium Romanae Ecclesiae presbyterum habemus, qui ut Eusebius refert *Hist. Eccl. lib. II. cap.* 28. Cerinthianum mille annorum regnum in singulari disputatione refutavit. Saeculo III. S. Dionysius Patriarcha Alexandrinus Nepotem Aegypti Episcopum invictissime profligavit, quod millenarii regni fabulam recoxisset. Dignus qui consulatur Eusebius *loc. cit.* de Dionysii disputatione per tres continuos dies cum plausu habita. Adversus eamdem fabulam steterunt Origenes in *Prolog. in Cantic.* et in *Lib. II. de Principiis.* Eusebius Caesariensis *Hist. Eccl. lib. III. cap. ult.*; S. Ephrem Syrus *Opus. III.* S. Basilius *Epist. CCLXIII.* S. Gregorius Nazianzenus *Ora. LII.* S. Epiphanius *Haeres. LXXVII.* S. Hieronymus in *Cap. XVIII. Isaiae*, et *XXXVI. Ezechielis.* S. Philastrius *de Haeres. cap. LIX.* Theodoretus *Haeret. fab. lib. III. cap. VI.* S. Augustinus, qui licet unus ex millenariis fuerit, tamen mox et eorum placita impugnavit in *Lib. XV. de Civ. Dei cap. VII.* et millenarios Cerinthi asse-

nes ait, animas decollatorum propter testimonium Jesu, et eos, qui non adoraverunt be-

---

clas inter haereticos recensuit *Lib. de Haeres. num.* 8. At per saeculum V. iam unanimi omnium consensu is error explosus.

Quamquam porro plerosque Patres in Chiliastarum opinamento implicatos offendimus, traditionem tamen ii non efficiunt, quum id inter traditiones habendum quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est. Sed millenarii regni nulla prorsus mentio apud S. Clementem Romanum, apud Ignatium, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, Cyprianum, quin ab innumeris inter fabulas amandatus error, nec semper obtinuerit, et omnino extinctus V. Ecclesiae saeculo. Qui vero ex Patribus Chiliastarum adhaeserint deliramentis, breviter expediemus. Papias Hierapolitanus Episc. a Cerinthi asseclis deceptus fabulam primus disseminavit, teste Eusebio *Lib. III. Hist. cap.* 39. Hic ille, quem aiunt fuisse S. Ioannis Evangelistae auditorem, ut ex Irenaeo *lib. V. cap.* 33. Verum Eusebio potius adsentimur, qui arbitratur alterius Ioannis, qui *senior* dicebatur, discipulum fuisse. Papiae S. Iustinus succedit, qui tamen contrariam sententiam, quae apud multos Catholicos obtinebat, numquam reprehendere visus est. In eumdem lapidem incidit S. Irenaeus, quem Cl. Bellarminus *Lib. I. de s. beatit.* et Faverdentius in *Scholiis* a Chiliasmo purgare conantur: utinam feliciter! Aiunt etiam Polycarpum Chiliastis adhae-

stiam, vixisse, et regnasse cum Christo mille annis; ceteros vero mortuorum non vixisse

---

sisse. Sed contrarium potius eruitur ex Polycarpi *Epistola ad Philippens.* quae superest : *persuasi quod hi omnes, Paulus, Ignatius, Zosimus, et Rufus in vacuum non cucurrerunt, sed in fide, ac iustitia, et quod in debito sibi loco sint apud Dominum, cum quo et passi sunt.* Accedit Polycarpi luculentissimum testimonium, fortasse antehac ab aliis non adnotatum, quod produximus in superiori auctario *num.* 42. Tertullianum potius Chiliasmi reum habemus, ut apeite patet ex *Lib. III. contr. Marcionem cap. ult.* Verum miratur Pammelius, qui factum sit, ut millenariis adhaeserit Tertullianus, quum similem fabulam, quam Plato *Dial. X. de Republ.* cuderat, acute exploserit in *Libr. de anima cap. XXX.* Quod vero ad Lactantium pertinet, ipsemet ait ex Sybillinis libris rem hausisse, qui prorsus supposititii, ut alibi evicimus. Sulpicius Severus demum ex S. Hieronymi auctoritate inter millenarios censendus, cui hac in re non subscribam, nec enim inter Sulpicii scripta quid est, quod errorem sapiat, immo multa, quibus millenariorum fabula explodi possit. Quidquid sit, nihil certe officit sancto dogmati nonnullorum Patrum error; multo enim plura pro dogmate suppetunt documenta, tum ex Sacris Scripturis, tum ex Conciliis Oecumenicis, tum ex perantiquis liturgiis, tum ex pontificiis definitionibus, tum ex moribus, precibusque Ecclesiasticis. Ex quibus uti-

donec consummentur mille anni. Haec est, subdit Ioannes, resurrectio prima. Beatus, et Sanctus qui habet partem in resurrectione I. in his secunda mors non habet potestatem. Sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.

IX. Quid at stulti somniatores ex Apocalypseos textu sibi promittunt? Regnabunt enim ex Ioannis effato Martyres cum Christo mille annis, id est per omne id tempus, quod extremum iudicium praecedit (perfecto enim numero ipsa temporis plenitudo notatur, quemadmodum in *Ps. CIV. in mille generationes*, id est in omnes) quia statim ac corporis vinculis exsoluti fuerint in beatam vitam adsumentur. Atque haec est resurrectio prima, in qua qui habent partem, in his secunda mors non habet potestatem; nimirum martyribus, qui habuerunt partem in resurrectione prima, qui scilicet semel in beatam vitam adsumpti fuere, nihil prorsus timendum a morte secunda, sive a damnatione post diem iudicii, sed resumptis per secundam resurrectionem corporibus, regnabunt cum Christo

---

que satis superque evincitur perpetua sancti dogmatis traditio ab Apostolorum aevo ad nostram usque aetatem.

mille annis, id est in omnem aeternitatem. Quamobrem per mille priores annos totum id tempus notatur, quod decurret a solutione corporis iustorum ad diem usque iudicii, et per mille posteriores annos aeternitas designatur, in qua Sancti resumpto corpore perfectam gloriam fruituri cum Christo regnabunt.

X. Atque hinc praeclarissime duplex explicatur Sanctorum resurrectio, quam millenarii regni fabulatores opponunt. Resurgunt enim primo Sancti, quum a morte corporis resurgunt, id est admittuntur in vitam aeternam; secunda autem, quum universali imminente iudicio corpora sua resument. At contra impiorum duplex est mors, una resurrectio. Moriuntur primo, quum extincto corpore in supplicium deiicientur, moriuntur secundo, quum post resurrectionem carnis una cum corpore in aeternum carcerem detruduntur.

SECTIO VII.

Deus corporeis oculis videri nequit.

I. Corporeis oculis Deum non videri, uno ore omnes Ecclesiae Patres testantur, potissimum vero Augustinus in *Epist. VI. ad Italicam*, ubi multis eos exagitat, qui Christo

primum, inde Sanctis post resurrectionem id donaverant, ut Deum oculo corporeo intuerentur. *Antea dicebant carni suae tantum hoc praestitisse Christum, ut corporeis oculis videret Deum: deinde addiderunt, etiam omnes sanctos, receptis in resurrectione corporibus, eodem modo Deum esse visuros. Nunc iam istam possibilitatem etiam impiis donaverunt. Donent sane quantum volunt, et quibus volunt. Nam quis audeat contradicere hominibus de suo donantibus? Qui enim mendacium loquitur, de suo loquitur.*

II. Opinamenti absurditatem quis, licet stupidissimus, non intelligit (44)? Non enim videtur oculo corporeo, nisi quod corporeum est, et in loco extensum, partesque alias, aliasque, et alias aliis maiores, vel minores habet; nam et impartile corpus, si quod esset, tametsi corpus esset, utique invisibile foret. Atque hinc Augustinus *loc. cit. Deus*

(44) Celsus in primis a Perimezio accusatur in *Dissert. LVIII.* quod corporeis oculis Deum intueri posse contenderit; at fallitur, nam Celsus quidem is erat, qui Christianos illius erroris insimulabat, ut auctor est Origenes *lib. VII. contra Celsum*, cuius haec sunt verba: *Falso igitur nobis Celsus imponit dicens, nos sperare corporeis oculis esse visuros Deum.*

lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae; sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quae illam lucem videat, quod nunc nondum est. Hoc autem oculis videri corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minori sua parte minorem locum occupet, et maiori maiorem.

III. Mire porro utrumque cuneum, quem adversarii urgebant, Augustinus retundit; tam enim nihil detrahi docet vel Omnipotentiae Dei, vel beatitudini Christi humanitatis, si Deus oculi, quam si aliis corporeis sensibus adtingi posse denegetur. *Cur*, inquit, *solis oculis corporeis Christi hoc donum adtributum esse contendunt, non etiam ceteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? et liquor aliquis erit, ut possit et bibi, et moles erit, ut possit tangi? Non, inquiunt, quid ergo? an illud potest Deus, et hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiae Dei? si posse, et nolle responderint, cur solis oculis favent, invident autem ceteris sensibus corporis Christi? an quousque volunt, desipiunt?*

IV. Ad hoc, ut idem instat Augustinus, fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quae si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam Sanctorum animus exercetur. Accedit insuper quod Deus caritas est, sive tamquam eius fons ineffabiliter existendo, sive illam nobis per spiritum suum largiendo. Si ergo doceri potest, quod caritas corporalibus oculis aliquando videbitur, poterit fortasse et Deus. Si autem ista numquam poterit, multo minus ipse fons eius, vel si quid dici excellentius, et magnificentius de tanta re possit.

V. Atque tanta haec veritas stabili Scripturarum fundamento innititur. CUM APPARUERIT, inquit Joannes *I.* 3. SIMILES EI ERIMUS QUONIAM VIDEBIMUS EUM SICUTI EST: Inde ergo videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, adeoque et visio mentis est, non corporis. Item Apostolus *I. ad Corinth.* 15. VIDEMUS NUNC PER SPECULUM IN AENIGMATE, TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. Inde ergo visuri sumus facie ad faciem, unde videbimus nunc per speculum in aenigmate, hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive quum in ista

peregrinatione adhuc per fidem ambulat, in qua utitur speculo, et aenigmate, sive in illa patria, quum per speciem contemplabitur. Denique *Ioan* 4. SPIRITUS EST DEUS, ET EOS QVI ADORANT DEUM, IN SPIRITU, ET VERITATE OPORTET ADORARE. Si adorare, quanto magis videre? Atque hoc ipsum Augustinus adprime confirmat in *Epist. CXLVIII.* ad Fortunatianum Siccensem Episcopum, innumera proferens Sanctorum testimonia, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, et Hieronymi.

SCHOLION. Quod inquit Sanctus Job. XIX. 26. IN CARNE MEA VIDEBO DEUM, non utique indicat, quod oculis corporeis Deum visurus esset, sed quod ipse anima et corpore redivivo, et innovato constans post resurrectionem, Deum esset oculis mentis visurus (45).

---

(45) Opportune nodum solvit vetustus Christianus cippus Neapoli apud Murat. *p. MDCCCXLI.* 5. *Credo . quia . Redemptor . meus . bibit. et in . nobissimo . Die . de . terra. suscitabit. me et . in . carne . mea . videbo . Dominum . meum . ego . Basilius. filius . Salibudi. e . Gregoria Coniuge . vivus . dum. irem. in . mandatum . ipsorum . malus . homo . apprehendit . et . portabit . me . in . Ribum . et occisit . me .*

VI. Obiectabant tamen nonnulli, Deum quidem, quum corpus non sit, oculo isto corporeo videri haud posse; sed corpus beatorum per resurrectionem spiritale futurum, spiritales vires induendum, atque ita spiritales tunc fore, qui nunc corporales sunt oculi, proindeque spiritalia visurus. Quibus sane multis argumentis restitit Augustinus in *Epist. CXII. cap.* 21. Quamvis enim hac nova argumentatione magis confirmari videatur nostra propositio, Deum corporalibus oculis non videri, *cogitandum tamen est, ne quid insolenter audiamus, si dixerimus corpus non solum mutabilitatem, et corruptibilitatem, verum etiam hoc ipsum, quod corpus est, per gloriam resurrectionis amittere, et spiritum fieri. Eo modo quippe aut conduplicabitur substantia spiritus, si et corpus spiritus erit, aut si verus erit spiritus hominis, ita ut commutato, et converso in spiritum corpore, neque geminatione neque incremento conduplicetur, nec omnino ullius accessu quantitatis*

---

mortem . crudelem . in . infantiae . meae . annorum . duodecim . Ind. XIV. Mensis . Maii . die . XXVI.

Alterum huiusmodi cippum videsis in nostro opere: *Iter Venusinum vetustis monumentis illustratum pag.* 24.

augeatur, *metuendum est*, *ne nihil aliud dici videatur*, *quam corpora non illa mutatione immortalia mansura*, *sed nulla potius futura*, *et omnino peritura.*

VII. In hac quidem sententia versatus est Augustinus, quamvis posthac in *lib. XXII. de Civ. Dei*, fluctuare nonnullis visus sit. Non eo tamen Sancti Pontificis dubitatio spectat, an corpereis oculis videri Deus possit, sed an oculus, et totum corpus per resurrectionem in spiritalem penitus naturam evehendum sit, in quo tamen ita alternat, ut in negantem sententiam totus propendeat.

CAP. XI.

DE SCIENTIA DEI

Ineffabilem Supremae Mentis scientiam, tamquam proprium Divinitatis characterem, utriusque Foederis praedicant Tabulae. Hinc DEUS SCIENTIARUM DOMINUS audit *Reg. Lib. I.* ET SAPIENTIAE EIUS NON EST NUMERUS *Ps. CXLVI.* Et APUD IPSUM EST SAPIENTIA, IPSE HABET CONSILIUM, ET INTELLIGENTIAM. *Iob. cap. XII.* et mox *cap. XXVIII.* SAPIENTIA UBI

INVENITUR? ET QUIS EST MODUS INTELLIGENTIAE ? DEUS INTELLIGIT VIAM EIUS , ET IPSE NOVIT LOCUM ILLIUS. IPSE ENIM FINES MUNDI INTUETUR, ET OMNIA , QUAE SUB COELO SUNT RESPICIT.

Sectio I.

Divina scientiae altitudo. Deus seipsum et omnia intra se uno simplicissimo intuitu noscit.

I. De Divinae scientia sermonem instituturi obliviscamur omnino quae a nobis de humana scientia , et sapientia intelliguntur (46).

(46) Ad rem maxime facit Augustinus *ad Simplic. n.* 2. *Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa, et intellecta memoria retinemus; id est, quum meminimus aliquid sensisse nos, vel intellexisse, et id quum volumus, recolimus. Quod si ita in Deo est, ut posset proprie dici, intelligit, et intellexit, sensit, et sentit, admittit tempus, et subrepit nihilominus illa mutabilitas, quae longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus, et praescit ineffabili modo. Sic enim et poenitet ineffabili modo. Quum enim scientia*

Tolle mutabilitatem, deme transitus illos a cogitatione in cogitationem, detrahe recordationes, quae de alia in aliam transiliunt partem, ablega quidquid fluxum est, quidquid compositum, quidquid mobile; Et ubi a nostris finitis cogitationibus peregrinantes unam illam contemplemur vivacitatem certae, atque inconcussae veritatis, tunc denique utcumque nobis Dei scientia insinuatur.

II. Seipsum porro noscit, et omnia Deus (47),

Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio; utraque tamen scientia vocatur.

(47) Sane perfectissimum divinae scientiae obiectum est Deus ipsemet. Quare Apostolus *I. Cor. cap. II.* 2 QUAE SUNT DEI NEMO COGNOVIT NISI SPIRITUS DEI. Sed alterum obiectum Creaturae sunt iuxta illud Apostoli *Epist. ad Hebr. IV.* 13. NON EST ULLA CREATURA INVISIBILIS IN CONSPECTU EIUS: OMNIA AUTEM NUDA, ET APERTA SUNT OCULIS EIUS. Utrumque cofirmat S. Thomas *I. P. quaest.* 15. *n.* 5. *Manifestum est, quod Deus seipsum perfecte intelligit: alioquin suum esse non esset perfectum, quum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus eius perfecte cognoscatur. Virtus autem alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit. Un-*

quandoquidem veritas est, quae una, et aeterna contemplatione cuncta conlustrat. Non enim otiosa ea est, et sterilis, nec languens, aut emortua, sed vivacissima vita, sive potius summa quaedam, et incorruptibilis lux, quae quaqua versus radios, et beneficentiam in eas sive res, sive mentes effundit, quae utcumque veritatis participes sunt.

III. Quo autem modo seipsam, et cetera omnia veritas illa aut cogitet, aut contempletur, aut videat, aut sciat, nec mente profecto, nec sermone consequi possumus. Quod enim unum et perspicue intelligimus, et tuto fatemur, id est quod nihil illam lateat, quod nec seipsam lateat. Praeclare hinc carminis Auctor *de Providentia* apud Prosperum:

At vero aeternum nihil effugit, omniaque adsunt
Salva Deo, nihil est illi tardumve, citumve,
Nec dilata umquam, nec festinata putemus.
Quae veniunt nostris mutantur tempora rebus;
Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est
Ante oculos Domini puncto subsistit in uno;

---

de, quum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est, quod Deus alia a se cognoscat.

Una dies cui semper adest, cras atque here nostrum.

IV. Atque haec est summae veritatis maiestas, ut quum prima caussa sit, et ipsum esse, non extra, sed intra se intueatur omnia, sive antequam fiant, sive postquam facta sunt, et simul semelque uno simplicissimo intuitu omnia videat in simplicissimae unitatis suae apice collecta (48). Quare Dionysius *De Div. Nomin. cap. VII. num. 2. Itaque mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium caussam in se omnium cognitionem anticipat; priusquam Angeli fierent, cognoscens Angelos, eosque creans, ceteraque omnia intus, et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, et in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam significare quum ait*, QUI NOVIT OMNIA ANTEQUAM FIANT. *Non enim ex rebus ipsis res discens novit eas divina mens; sed ex seipsa, et in seipsa, secundum caussam, scientiam omnium, et notionem, et essentiam praehabet, et ante comprehendit.*

---

(48) Multa disputant Scholastici de medio, in quo Deus seipsum, et res possibiles videat, nobis tamen sat est uno et altero verbo a Ss. PP. mutuato universam quaestionem solvisse.

V. At ipso uno, sequitur Dionysius, omnia cognoscens, et producens : αυτῳ τῳ ενι τα παντα και γινωσκουσα, και παραγουσα. Nam si secundum unam caussam Deus omnibus esse impertit ; secundum eamdem unicam caussam sciet omnia tamquam ex se existentia, et in seipso ante praeexistentia. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem, res omnes complectentem ; Ipse enim omnium caussa seipsam cognoscens, nullo modo ea quae ab ipsa, et quorum caussa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit ».

VI. Verum non naturales tantum, et necessarias, sed liberas quoque et contingentes caussas a Deo nosci, et videri luculentissime, et abunde quidem Scripturarum oracula testantur. Quare *Ps. CXXXVIII.* DOMINE PROBASTI ME, ET GOGNOVISTI ME, TU COGNOVISTI SESSIONEM MEAM, ET FUNICULUM MEUM INVESTIGASTI. ECCE DOMINE TU COGNOVISTI OMNIA NOVISSIMA, ET ANTIQUA. Et *Ecclesiastic. cap. XXIII.* 25. NON COGNOVIT, QUONIAM OCULI DOMINI MULTO PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM, CIRCUMSPICIENTES OMNES VIAS HOMINUM, ET PROFUNDUM

ABYSSI, ET HOMINUM CORDA INTUENTES IN ABSCONDITAS PARTES. DOMINO ENIM DEO, ANTEQUAM OMNIA CREARENTUR, SUNT AGNITA. Et *cap.* XXXIX. 24. OPERA OMNIS CARNIS CORAM ILLO, ET NON EST QUIDQUAM ABSCONDITUM AB OCULIS EIUS.

SECTIO II.

Deus futura praescit. Deo nihil praeteritum, nihil futurum, omnia praesentia, nec praesentia transeunt.

I. Sed qui non est praescius futurorum non est utique Deus. Hinc Hilarius *De Trinit. lib. IX. Proprium Deo quid aliud, quam cognitio futurorum est?* nimirum sola Dei natura futuras invadere potest aetates, et ea, quae nondum sunt, anticipare, et praecontinere, omnia ante et post penetrare saecula, et simul omnibus interesse, singulari aeternitatis privilegio. Quare de Deo praedicatur *Sap.* XIX. 2. quod PRAESCIEBAT FUTURA ILLORUM. Et Dominum in anxitudine sua sic precabatur Susanna *Dan. XIII.* 42. DEUS AETERNE, QUI ABSCONDITORUM ES CO-

GNITOR, QVI NOSTI OMNIA ANTEQUAM FIANT. Sed quid multis argumentis opus? *Praescientia Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas* (49), ut praeclare ait Tertullianus *adv. Marcionem lib. II. cap. V.* Et Deus ipse divinitatis characterem in praescientia positum innuit, quum ad gentium deos eludendos, ANNUNCIATE, ait

(49) Sane longum esset heic Prophetarum vaticinia omnia recensere, quorum veritatem abunde probavit eventus. Quamdiu enim ante Messiae adventum praedixerunt, vocationem gentium, infidelitatem Iudaeorum; Ducentis ante annis et nomen, et virtus, et victoria Cyri a Prophetis nunciata; itemque Iosiae gesta ante annos tercentos, et amplius. Sed Ierusalem obsidendam, expugnandam, evertendamque per Titum, annis ante plusquam sexcentis praedixere. O rem vere miram, et mire magnam! Quod si porro Prophetarum ore futura aliquando praedixerit Deus verbis *forte*, *forsitan*, quae incertitudinem indicant, veluti Ierem. *XXVI.* 5. *Ioan. IV.* 10. *et V.* 46. profecto ea incertitudo ad nos referenda, non ad Deum. Rem adprime aperit Hieronymus in *cap. XXVI. Ierem. Verbum ambiguum forsitan maiestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium; ne ex praescientia eius, quasi necessitate, vel facere quid; vel non facere cogatur.*

*

Isaiae cap. XLI. QUAE VENTURA SUNT, ET SCIEMUS QUIA DII ESTIS VOS.

SCHOLION. Nonnulla tamen ex Sacris Libris prima fronte futurorum praescientiae resistere videntur. Primum illud *Gen. XXII.* quod Deus Abrahae dixit : NUNC COGNOVI QUOD TIMEAS DEUM , verum non hinc coniiciendum , latuisse id antehac Deum, nam, quod saepe a nobis animadversum , humano more loquitur Deus. Sed et potest is locus sic interpretari ex Augustino : NUNC COGNOVI , idest *nunc feci ut cognosceres* , et re quidem vera subdit Scriptura : ET VOCAVIT ABRAHAM NOMEN LOCI LLIUS , DOMINUS VIDIT. Praeterea Isaias *cap. XXXVIII.* praedixit Ezechiae mortem : DISPONE DOMUI TUAE , QUIA MORIERIS ; atque is autem ex eo morbo convaluit. Nodum solvit Thomas *II.* 2. *quaest.* 171. *art.* 6. *quandoque sensus prophetiae esse , quod inferiorum caussarum dispositio , sive naturalium , sive humanorum actuum hoc habet , ut talis effectus eveniat , et secundum hoc intelligitur verbum Isaiae dicentis : morieris , non vives , idest dispositio corporis tui ad mortem ordinatur ; et quod dicitur Ionae III. adhuc XL. dies , et Ninive subvertetur ; idest hoc merita ejus exigunt , ut subvertatur.* Sed de Ionae

effato sic Augustinus in *Ps. L. n.* 11. *Ego autem puto, impletum fuisse, quod propheta praedixerat: Respice, quae fuit Ninive; et vide, quia eversa est; eversa in malo, aedificata in bono; sicuti eversus Saulus persecutor, aedificatus Paulus praedicator.*

II. At praescientiam futurorum non futurorum nescio quam, sive futurorum cum conditione numquam adimplenda, Manichaei, et Pelagiani (50) ad frustrandam gratuitam, et

---

(50) Id nimirum contendebant Pelagiani, non gratuitae, et aeternae praedestinationis beneficio parvulos nonnullos abripi immaturos statim post baptismum, quum plerosque multos baptismo mors praeripiat; sed ex praescientia operum, si tum illi, et isti superstites essent, et adolescerent. Delirantes homunciones firmissimis argumentis insectatus est Augustinus, acerrimus Pelagianae haeresis debellator, illoque potissimum, quod nesciri a Deo possint haec futura, quae numquam futura sunt, quaeque nec dici possunt futura. Quod porro ad Pelagianorum scopum pertinet, quod alii per regenerationem inter Regni Caelestis adsumantur heredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuae transeant debitores, id non ideo est, quod Deus quales futuri illi fuerint in annis maioribus, praesciverit. Quid enim? hunc liberat, hunc damnat ob futura bona, et ob futura mala, quae non sunt? Si futura non sunt, quomodo futura ea praescit?

aeternam praedestinationem commenti sunt. O miseram delirantium insaniam! Quid enim? an Deus ea praescit futura, quae numquam futura sunt? sed si futura aliquando non sunt, praesciri quomodo possunt? Quorum enim nulla veritas est, nulla quoque et scientia est, et nulla praescientia. Praeterea futura omnia

---

quomodo puniuntur peccata, quae nulla sunt? idest quae nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte praeveniente post carnem? Nec sibi favere clament Pelagiani *Sapient.* illud *IV.* 11. RAPTUS EST NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM EIUS. Nam ut Augustinus *de Praedest. Sanctor. cap. XIV.* praeter cetera multa, ait: *Dictum est: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, secundum pericula vitae huius non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, hoc est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Consona docet S. Fulgentius *Lib. I. de verit. praedest., et gratiae cap. VII. Secundum rectam itaque fidem, ac perspicuam veritatem, quod attinet ad parvulum, qui sine beneficio secundae nativitatis huic vitae subtrahitur, sicut et praescivisse fatendum est Dominum parvuli futuram mortem, quae vere futura erat, sic absurde dicitur, Dominum prae-*

in praeterita aliquando tandem traiiciuntur. At futura haec conditionata, de quibus sermo, si numquam praesentia ex futuris, numquam praeterita ex praesentibus evadent, quomodo futura erunt? Aiunt tamen: si conditio tandem poneretur, futura tandem essent. Verum quid hinc infertur, nisi quod tunc tandem vera futura essent, et tunc tandem sciri, et praesciri possent? nunc autem quia vere fu-

---

scivisse parvuli futura peccata, quae futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor praescisset quae facienda non essent, et mox inferius: *absurde itaque dicitur, quod praescivit parvulum, si viveret, impium futurum, quem utique praescivit, ad aetatem, qua impie viveret, non venturum.* Item quam miro, quam firmo argumento Pelagianum errorem convellit Fulgentius, quin et radicem falce secat edicens, bona, vel mala opera, quae numquam erunt, a Deo cognosci non posse.

Sed ne mussitandi locus restet, cave ita stultus sis, ut felicitates illas conditionatas a Deo populo Israelitico promissas, si in praeceptis Dei ambulaverint, nobis obiicias. Scio nempe id; scio et Salomoni factam de Regno filiis, et nepotibus in aeternum conservando promissionem, si legem ejus custodivissent. Scio et Sodomitis veniam promisisse, si decem inter eos iusti inventi fuissent. Scio tamen nonnisi ad Dei bonitatem, et iustitiam indicandam, haec omnia dicta esse.

tura non sunt, veri nihil continent, ideoque nec sciri possunt, nec praesciri.

SCHOLION. Incassum sudant qui futura haec conditionata, quae numquam futura sunt ex S. Libris suadere conantur. Et primo ex illo *Matth. II.* et *Luc. X.* VAE TIBI COROZAIM, VAE TIBI BETHSAIDA, QUIA SI IN TYRO, ET SIDONE FACTAE ESSENT VIRTUTES, QUAE FACTAE SUNT IN VOBIS, OLIM IN CINERE, ET CILICIO POENITENTIAM EGISSENT. Nam Christi scopus hic loci non est prophetare, sed exprobrare; exprobrabat autem Judaeorum duritiam. Ita saepissime amicos aliquid nobis negantes exprobramus: si quod renuis, ab inimico petiissem, annuisset utique. Alterum est ex *Lib. IV. Reg. cap. XIII* SI PERCUSSISSES TERRAM QUINQUIES, AUT SEXIES VEL SEPTIES, PERCUSSISSES SYRIAM USQUE AD CONSUMPTIONEM: NUNC AUTEM TRIBUS TANTUM VICIBUS PERCUTIES EAM. Nihil tamen heic futuri attenditur, sed sola ostentatur obedientiae virtus ad victorias ingeminandas; ut si dixisset, toties vinces, quoties obedivisti, saepius victurus, si magis obedivisses.

III. Libere tamen fatemur, Deum futura praescire. Sed quae futura Deo? Ohe nos vere

stultos, qui Deum modulo nostro metimur! Quae futura sunt, futura nobis sunt, non Deo, cui omnia sunt praesentia. Hac nempe dote gaudet aeternitas, ut simul comprehendat universa. At quid est simul universa comprehendere, nisi praesentia omnia habere, sic ut cum Boetio *Lib. V. metr. II.*

Uno mentis cernat in ictu

Quae sint, quae fuerint, veniantque?

Sane Ambrosius *Lib. I. de fide cap. VII. Deo*, ait, *quae sunt futura, praesentia sunt; et ei, cui praecognita sunt omnia, ventura perfecta sunt.* Cui mirum quantum adstipulatur Augustinus *De Trinit. Lib. XV. cap. VII. Quis ergo hominum potest istam sapientiam intelligere, qua novit Deus omnia, ita ut, nec ea quae dicuntur futura, quasi desint, expectentur ut veniant, sed et praeterita et futura cum praesentibus sint cuncta praesentia?* Et Gregorius Magnus *Moral. lib. XX. cap. XIII. Quomodo est praescius dum nulla quae futura sunt praesciantur? Scimus quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt.*

Sectio III.

Dei praescientia humanae non officit libertati.

I. Iam inde ab exordio mundi, et ante saecula Deus voluntates liberas ita invasit, ita perlustravit medullitus, ut iam tum perviderit quo eae demum evasurae usquam essent, et quo liberam adsensionem suam deflexurae. At haec Dei praescia futurorum comprehensio spectatrix, speculatrixque tantummodo est, non effectrix rerum. Sunt enim res, et ideo noscuntur a Deo, non autem quia noscuntur, ideo vel fiunt vel sunt. Praeclare hinc Quaestionum Auctor apud Iustinum Martyrem *Quaest. LVIII. Non est praescientia causa eius quod futurum est, sed id quod futurum est causa praescientiae. Siquidem non praescientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur praescientia; et haudquaquam praescius causa est futuri. Quocirca non Christus causa est proditionis Iudae, verum proditio est causa Domini praescientiae. Atque de diabolo, et primo homine eadem est ratio* (51).

(51) Ad rem adprime facit Photius in *Epist.*

II. » Quemadmodum enim (ut Origenes inquit *in Comment. in Gen.*) si quem imperitia temerarium, aut praecipitem videas esse, eaque temeritate impulsum lubrico se itineri committere, ut eum labente, fallenteque vestigio ruiturum intelligas, ipse tamen prolapsionis caussa non est; ita plane sentiendum est, Deo quod cuiusmodi quisque sit futurus praeviderit, caussas etiam, quamobrem eiusmodi sit futurus, quaeque ab eo vel improbe, vel praeclare gerenda sunt, esse perspecta. Atque ut libere, quod res est, eloquamur, non Dei modo praenotionem rerum caussam non esse, nec enim quem peccaturum Deus esse prae-

CLXXVIII. Si quem evaginato gladio in proximum furentem videam, occisum videbo, sed non ut actor poenas dabo. Quod si hoc ridiculum sit, et amentiae plenum; quomodo non audax furor censebitur, quum culpari debeant, qui id patrarunt, mali alicuius caussam ad divinam attrahere praescientiam? Sin praescientia vacet culpa, an praedictio reatu teneri poterit? Non ideo fit aliquid quod praescitur, et praevidetur : sed quia spontaneo motu facturi fuerant, quae facere non deberent homines, ea minime latere possunt omnia permeantem, et retegentem Dei oculum. Quocirca et beatus Petrus, non quia praedixit Dominus, negavit eum; sed quoniam exorbitare per abnegationem volebat, ideo magister eius id praescivit, et praedixit palam.

vidit, eum, dum reipsa peccat, ad facinus quasi manu deducit; sed etiam, quod a communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum quod futurum sit, eiusmodi praenotionis caussam esse. Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur; sed quod futurum sit, ideo futurum esse cognoscitur.«

III. Quin sicuti Deus certissime quidquid est ipse facturus videt, nec tamen huiusmodi scientia suis infert operibus necessitatem; quandoquidem si necessario evenirent, non esset in Deo libertas, et forent omnia opera eius aeterna, nihilque operaretur in tempore; ita nec ulla pariter hominum operibus timenda est a praescientia Dei necessitas (52).

---

(52) Videant igitur Stoici nequidquam humanam libertatem a divina futurorum praescientia everti. Cui falso nimis et impio opinamento Celsus philosphus Epicureus adhaesit apud Origenem *Lib. II. contr. Cels. n.* 20. itemque Marcio apud Tertullianum *Lib. II. contr. Marcion. cap. V.* Manichaei quidam ap. Mosem Barceph. *lib. de paradis. part. III. in Bibl. PP. Lugdunens. tom. XXII. p.* 497. et Wicleffus apud Valdens. in *Doctrina fidei lib. I. art. I. cap.* 22. Carneades quoque apud Tullium *de finib. lib. II. cap. XI.* Et ipse Tullius Cicero, qui *Lib. II. de divinat.* sibi non suadens qua ferme ratione Dei praescientia cum humana libertate conciliari posset, Deo futurorum contin-

IV. Nullum enim meritorium opus, nullum peccatum esset, si necessario evenirent quae a Deo praevisa sunt, ac praescita, sive etiam (quod de bonis dumtaxat dici potest) definita, ac praedestinata. Quamobrem inquit S. Augustinus *de Civit. Dei cap. X. Non propterea nihil est in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si ille, qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit; profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum, sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, et veraciter confitemur; illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus.*

V. Unde absit a nobis (ut eiusdem Augustini verbis *loc. cit.* utar) » eius negare praescientiam, ut liberi esse velimus, quo adiuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde

---

gentium praescientiam negare maluit, quam suam homini libertatem, et ut Augustinus ait *de Civ. Dei lib. V. cap. IX. ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Tamen non desunt qui Tullium arbitrantur ab ea postmodum opinione discessisse ex *lib. III. de nat. Deor. sub. fin.*

haud in cassum eunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, et vituperationes: Quia et ipsas futuras esse praescivit, et valent plurimum, quantum eas valituras esse praescivit; et preces valent ad ea impetranda, quae se precantibus concessurum esse praescivit; et ista praemia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit: Immo ideo non dubitatur ipsum peccare, quum peccet, quia ille cuius praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit, utique non peccat. Sed si peccare noluerit, hoc etiam ille praescivit «.

VI. Non est ergo consequens, subdit Augustinus, ut si Deo certus est ordo omnium caussarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusque praescientia continetur; quoniam et humanae voluntates humanorum operum caussae sunt. Atque ita qui omnes rerum caussas praescivit, profecto in iis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse praescivit.

SECTIO. IV.

Deus in absoluto praedestinationis decreto futura libera supernaturalis ordinis videt.

I. Quae supernaturalis ordinis in statu naturae lapsae libere futura sunt, in absoluto decreto videt Deus. Sane haec est sanctissima omnium doctrina, quae non aliunde quam ex Sacris Libris prono alveo fluit. Et quidem Apostolus Paullus *ad Ephes. I.* ELEGIT NOS IN IPSO ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, UT ESSEMUS SANCTI, ET IMMACULATI, in quem locum ita praeclare Augustinus: *elegit nos ut essemus sancti*; *quod profecto, si propterea dictum est, quia praescivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam praescientiam loquitur filius dicens*: NON VOS ME ELEGISTIS, SED EGO ELEGI VOS. *Electi sunt itaque praedestinatione, in qua Deus sua futura facta praescivit. Elegit, non quia per nos sancti, et immaculati futuri eramus, sed elegit, praedestinavitque ut essemus.*

II. At praeteterea Apostolus addit: QUI

PRAEDESTINAVIT NOS SECUNDUM PROPOSITUM VOLUNTATIS SUAE (non secundum praescentiam voluntatis humanae) IN LAUDEM GLORIAE GRATIAE SUAE (sed quae isthaec gratiae gloria ; si ex voluntatis nutu pendeat ? IN QUO ETIAM ET NOS SORTE (nullo nempe nostro merito) VOCATI SUMUS , ET PRAEDESTINATI SECUNDUM PROPOSITUM EIUS , QUI OPERATUR OMNIA SECUNDUM CONSILIUM VOLUNTATIS SUAE (non secundum dispositionem voluntatis hominum). Et *X. cap.* 2. GRATIA ENIM ESTIS SALVATI PER FIDEM , ET HOC NON EX VOBIS , DEI ENIM DONUM EST: NON EX OPERIBUS, UT NE QUIS GLORIETUR ; SI IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA , CREATI IN CHRISTO IESU IN OPERIBUS BONIS , QUAE PRAEPARAVIT DEUS UT IN ILLIS AMBULEMUS. Quid clarius ? Non praevidit Deus nos in operibus bonis ambulaturos , antequam ea praepararet, sed ea quidem praeparavit , ut in illis ambularemus.

III. Sed porro Augustini calculo res abunde confirmatur , qui in *lib. de praedestin. Sanct. cap. X.* « praedestinatione , ait , Deus et praescivit quae fuerat ipse facturus , unde dictum est *Isaiae XLV.* FECIT QUAE FU-

TURA SUNT, et mox: « quando promisit Deus Abrahae fidem gentium, non de nostrae voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quae praecepit; non illi faciant, ut ipse faciat quae promisit «.

IV. Sane ex his luculentissime quisquis intelliget, Deum in decretis suae voluntatis cognoscere, quae ipse facturus est. Quum autem supernaturales actus nostri a Deo fiant, quos ideo Augustinus alibi dona Dei, beneficia Dei, et facta Dei adpellat, omnino fateamur oportet, eosdem actus nonnisi in absoluto suo decreto a Deo cognosci. Quod nostra porro opera bona a Deo nobis donentur, et quod in sua praedestinatione cognoscantur, aperte quantum Augustinus ipse testatur *Lib. de don. persever. cap. XIV. quae utique* (opera nostra bona) *si Deus praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit*; et *cap. XVII. ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat; procul dubio se donaturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit.*

SCHOLION. Cave suspiceris, huiusmodi

futura non esse solius Dei opera, quum in ea conspiret insuper humana voluntas. Quamvis enim voluntas etiam hominum ad optimos quosque actus libere concurrat, nullum tamen dubium, quin vel ipse voluntatis humanae consensus opus Dei sit, et ipsius gratiae effectus, quemadmodum testatur Apostolus Paullus *ad Philipp.* *II.* 13. DEUS EST QUI OPERATUR IN VOBIS ET VELLE, ET PERFICERE; et efficaciter quidem operatur, ut ex Graeco textu ενεργων. Et Isaias iam ante in Cantico *cap.* *XXVI.* 12. OMNIA OPERA NOSTRA OPERATUS EST IN NOBIS.

SCHOLION. Advertas hinc longe quantum et Sanctis libris, et Ss. Patrum menti adversetur Molina. Quid iste? Nempe gratiam in novo scientiae mediae systemate (53) versa-

(53) Decimo sexto inclinante saeculo bifaria scientiae divisione *simplicis intelligentiae*, qua nempe Deus res possibiles videt, et *visionis*, qua praeterita, praesentia, et futura noscit, haud contentus Ludovicus Molina e Societate Iesu, medius inter has se immiscuit, et *mediam scientiam* invexit, resistentibus sane cordatissimis quibusque Theologis, et nobilissimis Universitatibus, Salmaticensi potissimum, Lovaniensi, et Duacena. Typis Ulyssiponensibus an. MDLXXVIII. Molinianum prodiit sistema *de liberi arbitrii cum gratiae donis,*

tilem commentus est, atque humanae voluntatis arbitrio subiectam adeo, ut ista consensu

---

divina praescientia, providentia, praedestinatione, et reprobatione concordia, de quo sibi quantum plauserit nequeo satis dicere. Lis tamen sub iudice est, an Molinae praeiverit P. Fonseca, quippe in sua *Metaphysica lib. VI. cap. II. quaest. IV.* scientiae mediae systema a se inventum, et auditoribus suis, ex quibus Molina erat, commonstrasse scribit. Videsis Cl. Serry *Hist. de Auxil. lib. I.* Ecquae porro sit huiusmodi Moliniana concordia, paucis expendemus. Docet igitur, Deum per scientiam mediam videre futura libera, sive absoluta, sive conditionata in statu naturae, tum innocentis, tum corruptae. Opinionem hinc multis conatur firmare momentis. I. Deum non posse, illaesa creaturarum libertate, eas efficaciter determinare, nullumque esse absolutum antecedens Dei decretum, in quo liberos actus videat futuros. II. In Deo esse voluntatem plenam omnes homines salvandi, sed ab eorum voluntate quoad effectum suspensam. III. Ex generali illa divina voluntate sequi decretum praebendi cunctis gratiam ad supernaturales actus, et ad perseverandum necessariam, sicut in ordine naturali decreverit singulis caussis suum exhibere concursum, quoties essent ad agendum paratae. IV. Gratiam utriusque status sufficientem esse tantum, sive versatilem ad nutum voluntatis; et efficacem dicendam, si voluntas ei consentiat, sufficientem vero, si voluntas

suo, vel dissensu eam reddat efficacem, vel inefficacem. Sane ex Moliniano opinamento

---

dissentiat. V. Deum praeviso recto et perseveranti gratiae usu ad finem usque vitae, absolute decernere gloriam veluti debitam mercedem. VI. Id ipsum systema ad sanctissimas etiam Christi, et Matris Virginis Mariae animas extendi (*Concord. quaest. XXIII. art.* 4) *Mihi videtur admodum verisimile sacrosanctis Christi, et illius matris animabus, non solum excellentiora dona Deum conferre decrevisse; sed etiam easdem praevidisse melius quam ceteras pro sua innata libertate usuras suo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius quam ceteras electas fuisse.* Haec est Moliniana doctrina, quam Sancto Doctori Augustino adversari ipse fatetur Molina *loc. cit. Quae* (principia) *si data, explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare . . . . . neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati.* Quid autem de Augustini doctrina Ecclesia sentiat, abunde quidem intelliges ex Hormisdae P. M. Epistola ad Possessorem *tom. IV. Concil.*, et quod magis est ex Petavio, cuius locum inferne dabimus *pag.* 256. Concludamus interea Eminentissimi Cardinalis Baronii verbis in Epistola ad Petrum Villarsium Archiepiscopum Viennensem in Gallia anno MDCIII. (*Baron. Ep. Tom. II. Romae cura Alberici pag.* 121.

Deus potius nostrorum bonorum operum speculator, et contemplator est, quam effector, et auctor. Gratiam nimirum eodem modo unicuique exhibet, atque explorat inde quisnam ea bene usurus sit, et quisnam male; perinde ac si Rex, postquam milites omnes armis instruxerit, ex alta arce prospiciat, quis iis strenue utatur in hostem, et quis ignaviter. Sed porro uti bonus armorum usus non Regi, qui arma donavit, sed militi adscribendus est, sic et bonus gratiae usus non Deo, sed libertati arbitrii unice tribuendus. Quis tantam pateretur confidentiam? Nos, Molina derelicto, audiamus potius clamantem Apostolum Paullum in *Epist. I. ad Corinth.* NE SUPRA

Legi Molinae libros, sed non sine stomacho, cum in illis nihil potentius agere praeseferat, quam S. Augustino (licet Sanctum nunquam nominet) resistere, eumque oscitantiae redarguere: seque in illis disputationibus vigilantiorem, acutioremque iactare. Quis posset eum talia loquentem sine nausea tolerare? Mitto porro dicere, aperte quantum Sacris Scripturis, et ceteris Ecclesiae Patribus potissimum adversetur. Procul hinc a nobis huiusmodi abeat doctrina, quae gratiae Christi vires enervat, quae mysterium praedestinationis evertit, quae voluntati humanae, peccato originis sauciatae, plus quam par est virium tribuit.

QUAM SCRIPTUM EST, UNUS ADVERSUS ALTERUM INFLETUR PRAE ALIO. QUIS ENIM TE DISCERNIT? QUID HABES, QUOD NON ACCEPISTI; SI AUTEM ACCEPISTI, QUID GLORIARIS, QUASI NON ACCEPERIS?

SECTIO V.

Peccata Deus non in decreto praedestinationis, sed in decreto permissionis videt.

I. Non omnium, quae fiunt, Dei scientia, aut praescientia caussa est. Sunt enim futura quaedam, quae Deus non facit, nec facturus est, et quorum profecto ultor futurus est, quia auctor non fuit, quaeque a Deo sciuntur quia sunt, non sunt quia sciuntur (54). Adpositis verbis rem Augustinus confirmat *Lib.*

(54) Confer Prosperum in *Sentent. cap. LVIII.* Gregorium *Lib. VI. in I. Reg.* Honorium Augustodunensem *de praedestin. cap. II.* Anselmum in *Dialog. de veritate*, et *in Lib. de concord. grat. et lib. arbitr.* Hugonem Victorin. *de Sacr. lib. I. part. II. cap. XIX.*

III. de lib. arb. Deus omnia, quorum ipse auctor est, praescit; nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est. Quorum autem non est auctor, iustus est ultor. Hinc ergo iam intellige, qua iustitia Deus peccata puniat, quia quae novit futura, non facit.

SCHOLION. Scitissime hinc Ratramnus *Lib. II. de praedestin.* de operibus eorum edisserens, quos spumante diluvio Deus perdidit, ait: *non propter Dei notitiam, qua gesturos illos talia, qualia gesserunt, a longe cognovit, sed propter suae malignitatis adinventiones ea fecerunt, pro quibus perire meruerunt. Nam si considerentur facta illorum, et Dei praescientia, non facta eorum ex Dei praescientia descenderunt; sed intra divinam scientiam, quae universa comprehendit, etiam illa fuerunt. Causam vero, et originem non ex illa sumpserunt, sed ex humani cordis praesumtione. Non enim de fonte bonitatis nisi bonitas manare potest; nec vitium aliquando de virtute sumpsit originem.*

II. Poro haec est Patrum Latinae Ecclesiae constantissima doctrina, quam et Graeci tuiti sunt, quorum omnium instar unus sit Gaudentius Brixiensis Episcopus *Serm. III. Synagoga Iudaeorum quod erat crudeliter factura, praedictum est; non ut fieret, iussum*

est. Nec ideo factum est, quia praedictum erat, sed ideo praedictum est, quia erat futurum, ut praescientiam suam Deus in his quae per libertatem arbitrii hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrii, quia voluerunt Iudaei facere, quod fecerunt; et utique si noluissent non fecissent. Certe ingentis sacrilegii est, vel cogitare, quod Deus, qui non solum bonus et iustus, sed ipsa bonitas est, et ipsa iustitia, vel iubeat aliquid, vel cogat fieri, quod factum damnet.

III. Quamobrem praescientia Dei a Dei sive operatione, sive praedestinatione discernenda. Ubi sunt qui totam Dei praescientiam, et universam eius scientiam aeterno et immutabili eius decreto superstruunt, et tam late patere contendunt praedestinationem, decretaque Dei irrevocabilia, quam divinam praescientiam? Audiant quaeso Prosperum in *respons. ad Capit. Gallor. cap. XIII. Qui praescientiam Dei in nullo ab eius praedestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc etiam de malis conatur adscribere. Sed quum bona ad largitorem, cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturae nequitiam referenda sint, dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum et praescisse simul, et praedestinasse quae ipso*

erant auctore facienda, *vel quae malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Praescisse autem tantummodo*, *non etiam praedestinasse quae non ex ipso causam erant operationis habitura. Potest itaque sine praedestinatione esse praescientia*, *praedestinatio autem sine praescientia esse non potest.*

IV. Verum non ultra progrediendum nobis est, nisi fundamentum ipsum constabiliamus in bicipiti Dei provvidentia positum, quod omnia nempe volente Deo fiunt, at alia volente, et faciente Deo, alia volente, et non faciente, sed permittente. Audi Augustinum nostrum in *Enchir. cap. XCV. et XCVI. Non ergo fit aliquid*, *nisi omnipotens fieri velit*, *vel sinendo ut fiat*, *vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum facere bene*, *etiam sinendo fieri*, *quaecumque fiunt male.* Alia igitur Deus facit, nempe bona, alia fieri sinit, videlicet mala; et ea iubet, haec permittit secundum ineffabilem iustitiam praemiorum, atque poenarum, gratiarum, et retributionum.

V. Nihil tamen divino Imperio detrahitur, quum mala fiunt, quae Deus non facit, sed fieri sinit, quia aequum bonumque est, ut sinat fieri. Ea enim est conditio, et lex libertatis creatae, ut sibi permittatur, ut quo se cumque velit flectat, sive in bonum, divinae

legi obtemperando, sive in malum, ab ea deficiendo. *Quid, quod dicis, homo qui multum desipis?* (inquit Augustinus in *Iulian. Pelag. lib. III. n.* 24.) *quanto excelsior, tanto inscrutabilior divina, quam humana iustitia, tantoque ab hac illa distantior. Quis enim homo iustus sivit perpetrari scelus, quod habet potestatem non sinere? et tamen sinit haec Deus, incomparabiliter iustis omnibus iustior, et cuius potestas est incomparabiliter omnibus potestatibus maior.* Iustus nempe est Deus, qui naturas liberas sinit suo obsequi ingenio, et iniustitiae se dedere, si velint, exinde puniendas, et ad iustitiam se conferre, exinde praemio donandas.

VI. Rem universam praeclare quantum uno et altero expedit verbo Graecae Ecclesiae lumen Sanctus Ioannes Chrysostomus *Homil. VIII. in Epist.* 2. *ad Timoth. Hoc solum scito, quod Deus omnia praevidet, quod liberi arbitrii conditi sumus, quod alia quidem operatur, alia vero permittit; quod nihil mali vult fieri; quod non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque; mala omnia ex nostra tantummodo fiunt, bona omnia ex voluntate nostra, et ipsius adiutorio, quod nihil ipsum latet; non tamen quia nihil ipsum latet, idcirco omnia operatur ipse.* Quo va-

lidissimo iacto fundamento, facillimum est aedificium superstruere. Praescit Deus malos actus, et malas voluntates, sed non facit. Quae non facit, non decernit, sed permittit. Et quae non decernit, sed permittit; non in decreto praedestinationis, sed in decreto permissionis videt.

CAP. XII.

DE VOLUNTATE DEI.

I. Quae summam in Deo evincunt intelligentiam, ea summam item arguunt voluntatem. Nec opus est, ut alienis fulcris, quae suo stant firma pede, fulciantur. Quare in *Ps. CXIII.* OMNIA QUAECUMQUE VOLUIT, DOMINUS FACIT IN COELO, IN TERRA, ET IN OMNIBUS ABYSSIS. Et Apostolus Paullus *ad Ephesios cap. I.* OMNIA OPERATUR SECUNDUM CONSILIUM VOLUNTATIS SUAE.

SECTIO I.

De Divinae Voluntatis libertate.

I. Ubi summa intelligentia, et summum consilium, ibi summa libertas. Summe igitur intelligens est Deus, et summe liber. Liber nimirum ab omni coactione, quia omnipo-

tens est, et a nemine pendet; liber praeterea ab omni vera, et absoluta necessitate, quia ita vult libere, ut possit etiam non velle (55). Non eam tamen libertatem sermo noster tangit, qua Deus intra se agit, seipsum contemplando, unde gignitur Filius, seipsum amando, unde Spiritus Sanctus procedit, quae immanens est, et necessaria, sed eam tantum, qua extra se agit, et erga creatas res omnes, in quibus libere secundum consilium voluntatis suae operatur; in quam sane digitum intendit Apostolus *I. ad Corinth.* HAEC OMNIA OPERATUR UNUS, ATQUE IDEM SPIRITUS, DIVIDENS SINGULIS, PROUT VULT.

SCHOLION. Nihil est, in quo magis imago, et similitudo Dei in homine splendeat, quam libera voluntas, quae tamen nonnisi umbra levissima est divinae libertatis, quae in Ente summe puro, et perfectionum omnium fonte, perfectissima est, et supra quam a finita mente cogitari potest, purissima (56).

Sed si qua necessitate Deus teneretur, omnia

(55) Libertas a coactione alio nomine *libertas voluntatis* a Scholasticis adpellatur, et libertas ab absoluta necessitate *libertas arbitrii* iisdem audit.

(56) Ex Tertulliano *Lib. II. contra Marcionem cap. V.*

certe, quae in universo sunt, necessaria forent, nec potuissent secus evenire, ac reipsa fiunt, quod scelus furcifer ecquis adserat (57)? Quae enim necessitas fuit, cur creata omnia, hoc, et non alio numero, pondere, et mensura continerentur? Vel quae necessitas cogere Deum potuisset ad universum creandum (58), qui

---

(57) Adeo nempe desipuit Petrus Abaelardus in sua *Theologia Christiana* (*in novo Thesauro anecdotor. PP. Martene, et Durand. Edit. Colon.* 1363.) ut Deum necessitate coactum mundum creasse contenderit. Verum a S. Bernardo non vice simplici exagitatus, errorem ejuravit, ut videre est ap. P. Bertrandum Tissier *in Biblioth. Cistere. tom. IV.*

(58) Longum esset eos omnes recensere, qui in divinae voluntatis libertatem pessime peccarunt. Inter Ethnicos habes Hesiodum, Democritum, Empedoclem, Heraclitum, Homerum, Herodotum, Philemonem, Trismegistum, Zoroastrum, Platonem, et Stoicos omnes. Inter Christianos vero Ioan. Wicleffum, Lutherum, qui tenuit omnia evenire ex absoluta necessitate, nihil ex libera Dei voluntate, Ioan. Calvinum, qui *Lib. I. Inst. cap. XVI.* §. 3. Deum necessario agere putavit, quidquid agit, itemque Martinum Bucerum in *Lib. de concord. doctrin cap. de lib. arbitr.* et Conradum Worstium *ap. Gaulter ad Saecul. XVII.* Sed tamen non defuere inter ipsos Ethnicos qui Divinae vo-

in manu sua habebat, singulas creaturas, vel plane omnes non plasmare? Quemadmodum enim ab aeterno, et ante saecula Deus sine creaturis beatissimus erat, ita potuisset absque ullo beatitatis suae damno creaturis omnibus perpetuo carere. Liberrime ergo eas quando Altissimus voluit, quas Opulentissimus voluit, quomodo Omnipotentissimus voluit, ex nihilo per summam bonitatem suam extraxit.

SCHOLION I. Licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea, quae vult propter bonitatem suam, quia bonitas eius potest esse sine aliis. Sic S. Thomas *I. P. quaest. XIX. art.* 3.

SCHOLION II. Numquid quia Deus peccare non potest, ideó liberum arbitrium ab eo excludamus? Praeclare Augustinus *De Civ. Dei lib. XXII. cap.* 30.: tantum abest, ut peccare posse ad libertatis essentiam pertineat, ut potius ipsam libertatem destruat. Peccatum enim ab animi perturbatione oritur, vel ab ignorantia, quae in Deo cadere non possunt.

SCHOLION III. In Deo est electionis li-

luntatis libertatem fassi sint, et Simplicius in primis *Comment. in Epictet.* Hierocles *ap. Stob. in Eclog. Ethic.* Plotinus *Ennead. VI. lib.* 8. *cap.* 7. *et* 8. Iamblicus *Lib. de Myster.*, §. 9. aliique quamplurimi.

bertas. Sed Deo omnia nuda sunt, et omnia aperta, quare ita eligit, et ita vult, ut nec dubitet, nec haereat.

III. Deum igitur liberum esse constanter credimus, et immutabilem esse constanter fatemur. Quomodo at summam libertatem cum summa immutabilitate conciliabimus? Certe nec lumen menti adfulgêt, quo videamus, nec via adparet, quam ingredi possimus; et quid dicemus, quidve non? Duo unius catenae extrema manibus ipsi comprehensa tenemus, at intermedios annulos, quibus duo haec extrema connectuntur, non videmus. Humiliamus hic capita nostra! O quanta altitudo rerum Dei, cui quomodo humanae mentis imbecillitas accedere audeat? Sed nos stulti nimis; et nimis stulti, qui contrariorum conciliationem in Deo investigamus! Quae ista contraria sunt? Contraria quidem nobis videntur, qui ex ingenii nostri modulo omnia metimur, verum non sunt in Deo contraria; quum quae contraria nobis videntur, amice in Deo conveniant, simulque eo ineffabili modo cohaereant, ut omnia unum sint.

SECTIO II.

De Divinae Voluntatis efficacia, eiusque concordia cum humana libertate.

I. Divinam voluntatem efficacissimam esse non aliunde uberius, quam ex utriusque foederis tabulis eruitur. Et primum *Isaiae XIV.* 27. DOMINUS EXERCITUUM DECREVIT, ET QUIS POTERIT INFIRMARE ? et *ibid. XLVI.* 10. CONSILIUM MEUM STABIT, ET OMNIS VOLUNTAS MEA FIET. Et *Danielis IV.* 32. IUXTA VOLUNTATEM SUAM FACIT, TAM IN VIRTUTIBUS CAELI, QUAM IN HABITATORIBUS TERRAE, ET NON EST QUI RESISTAT MANUI EIUS. Et *Paralip. II. cap.* 20. 6. TU ES DEUS IN CAELO ... IN MANU TUA EST FORTITUDO, ET POTENTIA, NEC QUISQUAM POTEST TIBI RESISTERE. Quibus omnibus symbolam suam addit Apostolus Paullus ad *Rom. IX.* 19. VOLUNTATI EIUS QUIS RESISTIT ?

SCHOLION. Divinae voluntatis efficaciae adversari nonnulla Scripturae testimonia videntur, ut potissimum Christi illud *Matth. XIII.* 37. IERUSALEM IERUSALEM QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS ET

NOLUISTI. Et *Proverb. I.* 24. VOCAVI ET RENUISTI. Et *Act. VII.* 5. VOS SEMPER SPIRITUI SANCTO RESISTITIS. Sed tollamus corticem, et omnia perspicua erunt. De ea enim voluntate huiusmodi loca intelligenda sunt, quae in praeceptis, exhortationibus, et miraculis posita est, et in aliis gratiis, quibus Deus homines ad salutem invitat, quam voluntatem *signi* adpellant Scholae (59), non porro de absoluta voluntate, ut si Deus absolute vellet omnium salutem, et impetrare nequiret.

II. In adversum tamen conniteuntur stulti, qui libertatem arbitrii humani a divinae voluntatis efficacia destrui putant. Quidquid enim, aiunt, ab alio movetur, liberum non est; Deus vero is est, qui voluntatem humanam movet iuxta illud *Prov. XXI.* COR REGIS IN MANU DOMINI, QUOCUMQUE VOLUERIT, VERTET ILLUD, et *Apost. ad Philip. II.* DEUS EST QUI OPERATUR IN NOBIS VELLE, ET PERFICERE, ac proinde nulla est homini libertas. Sed opportune S. Thomas difficultati occurrit in *I. Quaest.* 83. *art. I.*

(59) Voluntas *signi* tantumdem apud Scholasticos valet, quam exterior manifestatio, qua Deus indicat se aliquid velle; voluntas, vero *beneplaciti* est ipsa interior Dei voluntas, aliquid statuens revera sibi gratum.

Dicendum, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa, seu id, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius requiritur quod sit prima causa eius. Deus igitur est prima causa movens, et naturales causas, et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum eius proprietatem.

SCHOLION. Divina motio infinitae virtutis est, et naturas rerum non destruit, sed perficit, atque ita se habet, ut necessarias caussas necessario moveat, liberas libere, producatque nedum voluntatis motum, sed et ipsiusmet motus libertatem. Id porro nonnisi et ab ipsa summa divinae voluntatis efficacia proficiscitur, quippe Deus efficacissime vult non tantum ut nostra voluntas moveatur, sed ut libere moveatur. Quare Augustinus *de corrept. et gratia cap. XIV.* fatetur, *Deum habere magis in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.*

III. Deus hinc voluntatem immutabiliter movet propter efficaciam virtutis moventis; sed propter naturam voluntatis motae, quae libere se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Quare homini non aufertur potestas excitandi in se maiorem resistentiam, sic ut possit quamcumque Dei motionem ad bonum reddere inefficacem, quamvis eam voluntatis perversitatem semper Deus possit omnipotenti bonitate sua vincere.

SECTIO III.

Deus vult omnes homines salvos fieri.

I. Ad eam iam nunc Apostolicam sententiam aperiendam nostra properat oratio, quae vel subactissimorum Theologorum ingenia torsit; adeo spinis quaqua versus obsita! Ait igitur Apostolus *Epist. I. ad Timoth. II.* 4. DEUS VULT OMNES HOMINES SALVOS FIERI (60), sed quomodo non omnes salvi fiunt?

---

(60) Doctissimus Valesius ad *Euseb. III. de vita Constantis* 21. putat το σωθηναι tantumdem heic valere, ac salutaris doctrinae notitiam percipere. Eoque sensu reperisse se meminit id verbum apud Proclum *Comm. in Timaeum.* Utinam reperiatur is locus!

An Dei voluntas frustratur ? Hanc nimirum difficultatis plenissimam aleam ingredimur. Verum ne vel inviti labamur, nihil nisi ex Ss. Patrum penu depromptum in medium proferre animus est. Quum tamen non unam in nodo solvendo viam tenuerint Sanctissimi quique Patres, quarum utram velit, tuto ingredi Catholicus quisquis potest, ideo quid singuli senserint, ordine exponamus.

II. « Quum igitur audimus (Augustinus ait *Enchir. cap. CIII.*) et in Sacris Litteris legimus, quod velit Deus omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimae Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere quod scriptum est, tamquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod nullus fiat, nisi quem velit; et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit «.

SCHOLION. Eodem modo *το omnes* accipitur in illo Apostoli. *I. ad Corinth. XV.* 22. SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR, ITA IN CHRISTO OMNES VIVIFICANTUR, nempe omnes qui vivificantur, in Christo tantum vivificantur. Quod autem ad rem nostram

pertinet, non uno exemplo doctrinam suam confirmat Augustinus. Sic ludimagister aliquis, qui solus in urbe sit, dicitur pueros omnes litteras docere, non quia omnes discunt, sed quia nemo, nisi ab illo docetur.

III. « Aut certe (subdit Augustinus) sic dictum est, qui vult omnes homines salvos fieri, ut omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quascumque differentias distributum: Reges, privatos; nobiles, ignobiles; doctos, indoctos; divites, pauperes; mares, feminas; infantes, senes ».

SCHOLION. Sic *το omnes* explicatur in illo Lucae *XI.* 42. DECIMATIS OMNE OLUS, nempe omne olerum genus. Et in *Act. Apost.* *X.* 12. linteum Petro ostensum, IN QUO ERANT OMNIA QUADRVPEDIA, ET SERPENTIA TERRAE, ET VOLATILIA COELI, nimirum omnia genera quadrupedum, serpentium, et volatilium.

IV. « Potest etiam (ipso docente Augustino *Lib. de corrept. et grat. cap. XV.*) sic intelligi quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle; sicut misit Spiritum Filii sui clamantem Abba Pater, idest nos clamare facientem. Nos ergo clamamus; sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum re-

cte dixit Scriptura, a quo efficitur, ut clamemus; recte etiam volentem Deum, a quo efficitur ut velimus «.

SCHOLION. Augustinianeis hisce Apostolici effati interpretationibus plerique Ss. Patres adhaeserunt, quos inferne habes (61).

---

(61) Et sane Augustinum sequutus est S. Prosper in *Epist. ad Rufin.* (*Biblioth. Patr. tom. VIII.*) *Confiteamur, omnipotentissimam Domini bonitatem omnes salvare, quos vult omnes salvos fieri, nisi enim ipso salvante nemo salvatur.* Et S. Fulgentius *Lib. II. de praedest. et grat. cap. IX. Omnes ante mundi constitutionem praedestinando Deus elegit, hos omnes vult salvos fieri. Voluntas autem omnipotentis necesse est in omnibus impleatur; ideo autem omnes dicuntur, quia ex omni hominum genere colliguntur, ita salvi fiunt omnes quos vult Deus salvos fieri, quia nemo salvatur, nisi quem ille voluerit salvare.* Et Africani Patres in Sardiniam pro fide relegati in *Epist. Synodic. de grat. et hum. arbitr. cap. XIV. Omnes praedestinati, ipsi sunt quos Deus vult salvos fieri, qui praeterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, aetate, et conditione salvantur; semper quippe voluntas Dei Omnipotentis impletur.* Quibus accedunt et Gregorius Magnus *Comment. in I Reg. lib. V. cap. IV.* et S. Remigius Lugdunensis *Lib. de trib. epist. cap. VIII.* quos conferas. Mirari hinc satis nequeo, qua fronte Molina contendat in sua *Concordia Quaest. XIX.*

Quamvis vero de una voluntate, quae ad electos dumtaxat pertinet, Apostoli locum Augustinus acceperit; nihil tamen quidquam repugnat, quominus et de voluntate accipiatur, quae omnes homines complectitur, ut modo exponemus.

V. Alteram Apostolici loci explicationem S. Ioannes Chrysostomus *in Homil. I. in Epist. ad Ephes.* tradit, et S. Ioannes Damascenus *Lib. I. de fide orthodox. cap. XXIV.* Deum nimirum velle omnium salutem voluntate prima, sive *antecenti*, non voluntate secunda, sive *consequenti*, qua vult electos dumtaxat salvos fieri. Damasceni verba magis expressa subiiciam: *Illud quoque nos ne fugiat. Deum ut bonitate praestantem, primarie quidem omnes homines salvari, ac Regni sui compotes esse velle. Neque enim supplicii ac cruciatus caussa; verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit. Ut iustum autem*

---

art. VI. disp. 2. istas Augustini expositiones *vel ipso primo adspectu peregrinas, et extortas.* Quid quod et Dionysius Petavius, quod equidem a Clarissimo Viro haud expectabam, in *Lib. X. de praedest. cap. III.* hosce tres modos Augustinianeae expositionis *ab Augustino sibi quidem ad eludendum magis excogitatos, quam certos, ac solidos videri.*

iis quoque , qui peccant , poenam inferri nihilominus velle. At prius illud antecedens voluntas , seu beneplácitum dicitur , ex ipso manans : secundum autem consequens voluntas atque permissio , a nostro vitio ortum ducens. Nimirum Deus de' suo optimus, de nostro iustus,ut Tertullianus ait. Quatenus de suo bonus, vult omnes homines salvare ; Quatenus de nostro iustus , vult iniquos in peccatis permanentes damnare.

VI. At Divinae voluntatis omnes homines salvandi iam accipe clarissima argumenta. Sic Ezechielis *cap. XVIII.* NUMQUID VOLUNTATIS MEAE EST MORS IMPII, DICIT DOMINUS DEUS , ET NON UT CONVERTATUR A VIIS SUIS, ET VIVAT ? QUIA NOLO MORTEM MORIENTIS, DICIT DOMINUS DEUS : REVERTIMINI ET VIVITE. Et *cap. XXXIII.* VIVO EGO DICIT DOMINUS DEUS : NOLO MORTEM IMPII, SED UT CONVERTATUR IMPIUS A VIA SUA, ET VIVAT : CONVERTIMINI A VIIS VESTRIS PESSIMIS : ET QUARE MORIEMINI DOMUS ISRAEL? Et Isaiae *cap. LIX.* ECCE NON EST ABBREVIATA MANUS DOMINI UT SALVARE NEQUEAT,NEQUE AGGRAVATA EST AURIS EIUS , UT NON EXAUDIAT: SED INIQUITATES VESTRAE

DIVISERURT INTER VOS, ET DEUM VESTRUM, ET PECCATA VESTRA ABSCONDERUNT FACIEM EIUS A VOBIS NE EXAUDIRET. Et *cap. L.* VENI ET NON ERAT VIR ; VOCAVI, ET NON ERAT QUI AUDIRET : NUMQUID ABBREVIATA, ET PARVULA FACTA EST MANUS MEA, UT NON POSSIT REDIMERE, AUT NON EST IN ME VIRTUS AD LIBERANDUM ?

VII. Habes et alia argumenta in novi Foederis tabulis : *Petr. Epist. II. cap.* 3. NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM SUAM ; SED PATIENTER AGIT PROPTER VOS, NOLENS ALIQUOS PERDERE, SED OMNES AD POENITENTIAM REVERTI. Et Paullus *ad Rom. cap. II.* AN DIVITIAS BONITATIS EIUS, ET PATIENTIAE, ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS ? IGNORAS QUONIAM BENIGNITAS DEI AD POENITENTIAM TE ADDUCIT.

VIII. Deus igitur universos homines ad salutem ordinavit, et media cunctis paravit, ut salutis finem consequerentur. Porro qui media vult, vult et finem, et qui media et auxilia, quae satis sunt ad viam salutis, paravit, exhibuit, obtulit omnibus, is certe vult omnes homines salvos fieri. Hoc est autem, quod Theologi de Schola, Damasceni vestigia pre-

mentes, inquiunt, velle Deum omnium hominum salutem *voluntate prima*, *et antecedente*, non *voluntate secunda*, *et consequente*. Voluntas *prima* est, qua Deus ex sese vult aliquid sine ulla circumstantium rerum consideratione. *Secunda*, qua ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioqui nollet. Haec attamen divinae voluntatis distinctio non ex ipsa interna Dei volentis operatione, quae simplicissima est, nec quid prius, et posterius agnoscit, sed ex parte rerum volitarum dimanat.

SCHOLION. Altera voluntas electos salvandi, quae absoluta, et efficax est, quamque consequentem adpellant, per semet semper et ubique adimpletur, numquam, et nusquam caret effectu. Quare Esther *cap. XIII.* NON EST QUI POSSIT TUAE RESISTERE VOLUNTATI, SI DECREVERIS SALVARE ISRAEL. De qua alibi. Sed antequam ab hac quaestione abeamus, S. Remigii verbis ultimum pondo orationi dabimus (*De tenenda Verit. Script.*): *Illud manifestum est, quod etiamsi generaliter, et indifferenter omnes homines Deus vult salvos fieri, in aliorum tamen cordibus, benignitate misericordiae suae ipse operatur eamdem bonam voluntatem suam, ut et ipsi salvari velint, atque salventur.*

IX. Apostoli tamen sententiam, nec non

huismodi alia Scripturae loca S. Augustinus de efficaci, et absoluta voluntate vel ideo accepit, quod contra Pelagianos pugnabat, qui eam evertere adnitebantur (62). Sic enim Apo-

(62) Non hinc tamen dicendum, quod perperam nonnulli contendunt, divinam antecedentem voluntatem omnes homines salvos faciendi ab Augustino reiectam, quin potius ab ipso confirmatam habes in *Lib. de Spirit. et lit. ad Marcellin. cap. XXXIII. Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire : non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno, et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est : vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia, volo, ut hi omnes servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere : sed tunc eam vincet, si pistrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri potest sub Dei voluntate.* Quid quaeso clarius? quid luculentius tanto testimonio?

stolico effato, ceterisque Scripturarum locis explicatis, mirum quantum dogmata confirman-

habes igitur et Augustinum in eamdem sententiam conspirantem. Nec praeterea huiusmodi explicatio ab Augustini discipulis recusata. Recusata? immo abunde comprobata! Audi Prosperum in *Resp. ad II. obiect. Vincent. Sincerissime credendum, atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod et in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus, quod multi pereunt, pereuntis est meritum; quod multi salventur, salvantis est donum.* Eamdem porro sententiam nec repudiandam censuit S. Remigius, et universa Lugdunensis Ecclesia *in Opere de trib. epist.* nisi quod animadvertenda sunt quae subdit: *in quarto autem modo illud sine dubio cavendum est, quia et occasionem Pelagianae pravitati praebet, quod Deum, ut salvet homines, humanas expectare adserit voluntates.* Sanctus Thomas denique quamvis ab Augustini interpretationibus non recesserit (ait enim *Lect. I. in Cap. II. Epist. I. ad Timoth. distributionem pro generibus singulorum, non pro singulis generum magis facere ad intentionem Apostoli*) mox tamen cum Sancto Ioanne Damasceno Apostolicum effatum de voluntate antecedente, qua Deus omnes homines vult salvos fieri accipit: *Considerandum est (I. P. Quaest. XIX. art. VI.) quod unumquodque, secundum quod bonum est, sic*

tur de gratiae necessitate, de gratuita eiusdem largitione, de Dei praescientia, ac praedestinatione, quae tanta animi contentione Sanctus Doctor adversus Pelagianos, ac Semipelagianos defendebat (63).

SCHOLION. Pelagiani, et qui ab iis nati sunt Semipelagiani contendebant, Deum una prorsus, eademque generali voluntate aequaliter velle salutem omnium hominum, ea conditione tamen, *si ipsi velint salvari.* In hoc amice conveniebant; discrebant vero in eo, quod Pelagiani gratiae osores ab uno hominum arbitrio propriam salutem pendere autumabant,

---

est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum; quod tamen prout cum aliquo adiuncto consideratur, quae est consequens consideratio eius, e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidere est malum, secundum absolutam considerationem: sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere; unde potest dici, quod iudex iustus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae iustitiae.

(63) Conferas Cl. Bertium *Th. disc. Lib. V. cap. I.*

hi vero aliquam gratiam agnoscentes opinabantur, Deum velle omnes homines salvos fieri, *modo ipsi divinae gratiae consentire vellent.* Una tamen eademque est Pelagiani, et Semipelagiani erroris consequutio, nempe ab hominum arbitrio, non a Dei voluntate repetendum esse discrimen inter eos qui salvantur, et qui pereunt. Utrosque abunde divexavit S. Augustinus, exemplo potissimum parvulorum, quos omnes stultum esset opinari, Deum velle aequaliter salvari *si ipsi velint*, quum eorum nondum esset velle. Sed praestat S. Doctorem audire contra Iulianum *Lib. IV. cap. VIII. Si Deus vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in Regnum Dei, ubi certae est agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, aut aliquis poterit dicere: Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle, seu nolle ista noverunt*: Multo minus, aiebat Sanctus Pontifex velle Deum omnes peccatores adultos salvos facere, *si ipsi velint*, illud enim sequeretur pessimum absurdum, *ut Deum benevolentiorem facianus omnibus impiissimis, et sceleratissimis hominibus, quam innocentissimis, et purissimis ab omni labe pec-*

cati (i. e. actualis) Et praeterea sequeretur, inquit; *ut Deus esse Christianos omnes velit, quorum multi nolunt; non omnes velit, quorum nemo est, qui nolit ; quod abhorret a vero.*

X. Cavendum id igitur, ne sentiamus, Deum expectare eorum, quos vult salvos fieri, voluntatem, ut ipsi libero arbitrio suo incipiant velle salvari, et tunc divina bonitate salventur ; ut initium salutis eorum sit ex ipsis, perfectio autem eiusdem salutis ex Deo. Ita namque Semipelagiani blasphemabant, contra quos Apostolicum illud effatum opponimus *ad Rom. II.* QUIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBUETVR EI? Merito hinc sanctum in Concilio Arausicano II. Can IV. « Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit : non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: PRAEPARATUR VOLUNTAS A DOMINO : et Apostolo salubriter praedicanti : DEUS EST QUI OPERATUR IN NOBIS ET VELLE ET PERFICERE PRO BONA VOLUNTATE.

XI. Caveamus id etiam suspicari, generali tantum, et indiscreta voluntate Deum velle omnium hominum salutem, ita ut salus Praedestinatorum nullo modo in peculiarem Dei vo-

luntatem, seu aeternum vocationis propositum, quo discreti sunt a reprobis, sed in humanae naturae, liberique arbitrii initiales quosdam conatus refundatur, quod item Semipelagiani deblaterabant, ut aperte constat ex Prosperi, et Hilarii epistolis ad S. Augustinum; et ex S. Prospero in Carmine *De Ingratis*:

Cum sine delectu seu lex seu Gratia Christi
Omnem hominem salvare velit, Dominique vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua proprioque venire vigore,
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.

Quare S. Fulgentius *Lib. de Incarnatione cap. XXIX.* « Non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiae, sic et in vasis irae accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturae sententiam, quae divinae commendans omnipotentiam voluntatis, inquit *Ps. CXIII.* OMNIA QUAECUMQUE VOLUIT FECIT. Quomodo igitur omnia quae vult facit, si volens hominem salvum fieri, cuius salus nonnisi a bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur, expectat? »

CAP. XIII.

DE SANCTA DEI PRAEDESTINATIONE.

I. Quamvis Deus omnes homines salvos fieri velit, atque ad agnitionem veritatis pervenire, non omnes tamen aeternam salutem, et vitam consequuntur; Nam ut Apostolus inquit *ad Romanos VIII.* QUOS PRAESCIVIT, ET PRAEDESTINAVIT: HOS ET VOCAVIT, ET QUOS VOCAVIT, HOS ET IUSTIFICAVIT, QUOS AUTEM IUSTIFICAVIT, ILLOS ET GLORIFICAVIT. Quare qui electi, et praedestinati sunt ad vitam aeternam, illi dumtaxat salvantur.

SCHOLION. *το praescivit* non ad hominum merita pertinet, ut si electorum praedestinatio post praevisa hominum merita sit, quod aperte S. Scripturis adversari videtur, sed ad ea quae ipse Deus facturus in homine fuerat, ut ait Augustinus. Dicam amplius: Graecus textus habet *προεγνω* idest *praeelegit*, et *praedilexit*, quemadmodum et Christus in Petri *Epist. I.* dicitur *προεγνωσμενος* idest praeelectus. Secundum igitur Graecum textum quos praescivit, et praedestinavit, sic interpretandum: quos praeelegit, et praedestinavit.

II. Quanta porro sit sanctae Praedestina-

tionis necessitas non aliunde copiosius, quam ex *Apocal. XXI.* 27. patet (64): NON IN-

(64) Firmissimum dogma multi quidem per immane nefas evertere conati sunt. I. Basilides, Valentinus, et Manichaei nullam agnovere praedestinationem, quemadmodum ab Origene accepimus *Lib. III. de Principiis cap. I.* Homines enim, aiebant, aut naturaliter bonos esse, adeoque salvandos, aut naturaliter malos, adeoque damnandos. II. Pelagiani successere, qui nullum constans decretum, aut propositum, quo certus hominum numerus ad gloriam destinatus, in Deo esse contendebant, sed Deum dumtaxat praescivisse effutiebant, quinam ex bono liberi arbitrii usu salutem aeternam promerituri essent. III. Semipelagiani porro, licet necessitatem gratiae alicuius et ad recte agendum, et ad gloriam promerendam agnovissent, tantum tamen libero arbitrio tribuerunt, ut nonnisi ab hominum voluntate aeternam salutem pendere arbitrati sint, unde ineptissima illa Fausti Reiensis sententia emanavit: *si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem deputatus est, non iudicandi nascimur, sed iudicati.* Quo sensu tamen praedestinationem receperint, ex S. Prospero habemus in *Epist. ad Augustin. Propositum, et praedestinationem Dei secundum Praescientiam receperunt* (Semipelagiani) *ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscuiusque praeviderit, et sub ipso gratiae adiutorio, in qua*

TRABIT IN EAM (gloriam) NISI QUI SCRIPTI SUNT IN LIBRO VITAE AGNI. Sed qui sunt hi, nisi qui Electi sunt e mun-

---

futurus esset voluntate, *et actione praescierit.* In hunc pessimum lapidem et Iacobus Arminius (a quo Arminiani, qui damnati sunt anno MDCXVIII.) Calvino, et Bezae bellum inferens, misere impegit. IV. Demum in hunc censum venit Ambrosius Catharinus ex Fr. Praedicatorum familia, qui novum commentum excogitavit duplicis ordinis salvandorum, in quorum uno eos locavit, qui fortissimis divinae gratiae auxiliis specialiter ad gloriam electi, quos inter Mater Dei Maria, Apostoli, et Patriarchae; in altero vero, quos generali voluntate Deus salvos vult fieri, quique per bonum sufficientium auxiliorum usum salutem consequuntur. Haec pura puta Catharini doctrina est, quam manifeste exposuit in *Summaria de divin. praedestin. et reprobat. explicatione*, et de qua accusatus est in libello *de erroribus Catharini*, qui Pio IV. oblatus est. Quamobrem miror, qui factum sit ut Cl. Tournelius in *Tract. de divin. adtrib.* duplicem ordinem a Catharino expositum adserat, unum ante praevisa merita per infallibilia, et efficacissima gratiae auxilia, alterum post praevisa merita, elicita cum auxilio gratiae versatilis, et communis. Utinam Cl. vir suis manibus Catharini scripta volutasset! An ex Paulli Sarpii scrinio id collegerat? Praeivit enim Tournelium Sarpius in *Hist. Concil. Trid. lib. II.*

do ea vocatione, qua Deus id, quod praedestinavit, implevit? *quos enim*, (ut interpretis Augustini verbis utar *de Praedest. Sanct. cap. XVII.*) *praedestinavit, ipsos et vocavit, illos scilicet praedestinatione secundum propositum, non alios: sed quos ita vocavit, ipsos et iustificavit, nec alios: sed quos praedestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos et glorificavit*:

III. Porro praedestinatio tantumdem (65) valet, ac praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur (66)? Praescit nimirum

(65) Praedestinatio, quam Graeci ὁρισμὸν *decretum* dixere, unica est. Quum enim transmissio sit hominis in vitam aeternam, non finem, sive gloriam dumtaxat respiscit, sed etiam gratiam, quae est medium ad finem consequendum. Sunt tamen qui duplicem agnoscunt, alteram ad gratiam, alteram ad gloriam. Sunt et qui triplicem adserunt, quos inter Cl. Cornelius a Lapide, nempe ad gloriam, ad gratiam inchoatam, et ad gratiam completam. Multa sunt verba, sed rem adstruunt unam.

(66) Alii aliter praedestinationem acceperunt; ipsi sibi videant. Nos Augustinum sequimur, cuius doctrinam si attentius excutias plenior emanabit definitio: nempe *providentia Dei, qua certi homines, ex massa perditionis misericorditer selecti,*

Deus quae ipse facturus est, *et sua dona quibuscumque donat, proculdubio se donaturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit. Namque in sua, quae falli, mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere; id omnino, nec aliud quidquam est praedestinare.* Haec sunt Augustini verba in *Lib. de Persev. don. cap. XVII.* qui praeterea in Semipelagianos adversa acie irruens, subdit: *an quisquam dicere audebit, Deum non praescisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quae*

---

per infallibilia media in vitam transmittuntur aeternam. Et quidem *providentia*, quia providentiae species est praedestinatio; *Dei*, quippe solus Deus vitam aeternam communicare potest; *qua certi homines*, quia providentia ad res omnes, praedestinatio ad certos homines, sive ad solos electos tantum pertinet; *ex massa perditionis*, omne enim genus humanum per peccatum originale factum est veluti massa damnata; *misericorditer selecti*; nihil enim invenit Deus in iis, quos ad gloriam elegit nisi peccatum, et ideo eos misericorditer liberat, non reddens poenam, quae deberet, sed donans gratiam, quae non deberet; *per infallibilia media*, siquidem praedestinatio certa est, et infallibilis; *In vitam transmittuntur aeternam*, haec nempe est praedestinationis et ratio, et meta.

utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit.

IV. Non alia autem ista beneficia sunt, quae Deus praeparavit, nisi gratia simul, et gloria, quibus efficacissimis auxiliis, quicumque in Dei providentissima dispositione praesciti, praedestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, certissime a servitute corruptionis liberantur. Liberantur enim, ut Augustinus inquit, quia *iam filii Dei sunt, et omnes perire non possunt.*

SECTIO II.

Praedestinationem electorum in statu naturae lapsae gratuitam esse, et ante praevisa merita, ex Sacris Scripturis evincitur.

I. Nihil adeo utriusque Sanctissimi Foederis auctoritate certum, quam quod unius providentissimi Dei donum sit electorum ad gloriam praedestinatio. Hinc in *Ps. XVII.* SALVUM ME FECIT, QUONIAM VOLUIT ME. Et *Ezechielis XXXVIII.* NON PROPTER VOS EGO FACIAM, SED PROPTER NOMEN SANCTUM MEUM. At reparatorem humani generis Christum Dei filium audia-

mus loquentem *Ioan. cap. X.* OVES MEAE VOCEM MEAM AUDIUNT.... ET EGO VITAM AETERNAM DO EIS (ovibus), ET NON PERIBUNT IN AETERNUM, ET NON RAPIET EAS QUISQUAM DE MANU MEA. Sed qui, nisi praedestinati ad gloriam, sunt oves, quae a manu pastoris rapi non poterunt?. et quare non rapiendae, nisi quod Pater eas elegit, et dedit Christo? Ibidem *cap. XIII.* SI HAEC SCITIS, BEATI ERITIS, SI FECERITIS EA: NON DE OMNIBUS VOBIS DICO: EGO SCIO QUOS ELEGERIM, SED UT ADIMPLEATUR SCRIPTURA; QUI MANDUCAT MECUM PANEM, LEVABIT CONTRA ME CALCANEUM SUUM. Et mox luculentius (*Ioan. XV.*) NON VOS ME ELEGISTIS, SED EGO ELEGI VOS, ET POSUI VOS UT EATIS. ET FRUCTUM ADFERATIS, ET FRUCTUS VESTER MANEAT. Sed qui fructus iste, qui manet? non est fides profecto, non gratia, sed finalis perseverantia, consummata caritas, et sempiterna beatitudo. *Et Lucae XII.* NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX QUIA COMPLACUIT PATRI VESTRO DARE VOBIS REGNUM. Quid το *complacuit*, nisi ut indicaret meram Dei benignitatem, et misericordiam? Itemque de

tentationibus disserens, quae extremum praeibunt iudicium, ait: NISI BREVIASSET DOMINUS DIES, NON FUISSET SALVA OMNIS CARO, SED PROPTER ELECTOS, QUOS ELEGIT, BREVIAVIT DIES . . . DABUNT SIGNA, ET PORTENTA AD SEDUCENDOS, SI FIERI POTEST ETIAM ELECTOS. Quid clarius ab ipsa veritate expectandum erat?

SCHOLION. Neque profecto nobis adversatur Christi Domini effatum, quod in extremo iudicio audiemus: VENITE BENEDICTI PATRIS MEI POSSIDETE PARATUM VOBIS REGNUM A CONSTITUTIONE MUNDI; ESURIVI ENIM, ET DEDISTIS MIHI MANDUCARE. Non enim illud *esurivi* ad paratum a constitutione mundi regnum, nempe ad aeternam praedestinationem pertinet; sed ad verba *venite*, et *possidete*, sive ad praedestinationis executionem in tempore (67).

(67) Universa sacri loci antithesis in praemii, et poenae retributione dumtaxat versatur, in qua locum habent bona, vel mala hominum merita; non vero in praeparatione, seu prima electione, et in reprobatione, quarum illa ab una Dei misericordia pendet, ista vero ab eiusdem iustitia. Non aliunde clarius suaderi id potest, quam ex verbis, quae in impios intenduntur: DISCEDITE MALEDICTI IN

Certum est enim possessionem regni aeterni non haberi, nisi ex meritis, quae sunt bona ipsius gratiae efficacis. Quare Auctor *Lib. de vocat. gent. lib. II. His quos Deus elegit sine meritis, dat undè ornentur et meritis.* Et S. Augustinus in *Epist. ad Xistum cum Deus coronat meritum nostrum, nihil aliud coronat, quam munera sua, sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; Sic et in fine, quod erit in vita aeterna, coronabit nos, sicut scriptum est* (*Ps.* 58.) IN MISERATIONIBUS, ET MISERICOR-

---

IGNEM AETERNUM. QUI PARATUS EST DIABOLO, QUIA ESURIVI, ET VOS NON DEDISTIS MIHI MANDUCARE. Ex quo apertissime patet, το *enim* nullo referri posse pacto ad praeparationem ignis, Diabolo factam. Quid enim absurdius? quid insipientius, si ita locum acciperes: *discedite maledicti in ignem aeternum, qui ideò paratus est diabolo, quia esurivi, et vos non dedistis mihi manducare*? Quemadmodum igitur in maledictione impiorum το *enim* non ad praeparationem, sed ad retributionem poenae, sic et in iustorum benedictione ad possessionem Regni, non ad praeparationem pertinet. Regnum enim non propter bona opera electis praeparatum est; sed iis utique propter bona opera datur.

DIA. *Unde et ipsa vita aeterna, quae meritis praecedentibus redditur, quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam eius, etsi ipsa gratia nuncupatur non ob aliud, nisi quia gratis datur, et ideo quia meritis non datur, sed et quia data sunt et ipsa merita, quibus datur.* Et mox addit: *Quapropter homo si accepturus est vitam aeternam, iustitiae quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa iustitia. Nunc ergo plenitudine eius accepimus non solum gratiam, qua nunc iuste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro gratia, ut in requie postea sine fine vivamus.* Haec Augustinus. Quum igitur media, quibus adsequimur vitam aeternam in tempore, sint dona verae liberalitatis divinae, totaque pendeant a divina voluntate, tamquam a caussa efficiente, profecto dubitari nequit, quin etiam finis, propter quem illa conferuntur, sit merum gratuitum Dei donum ab aeterno electis praeparatum. Atque ex his modo intelligas qua notione in Sacris Scripturis vita aeterna dicatur merces, corona iustitiae, bravium.

II. Quam autem doctrinam a Domino accepit Apostolus Paullus, hanc aperte, et

diu praedicavit. Audiamus igitur maximum Dominicae veritatis doctorem, et interpretem. Sic is in *Epist. ad Tit. cap. III.* NON EX OPERIBUS IUSTITIAE, QUAE FECIMUS NOS, SED SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM SALVOS NOS FECIT. Quo Apostolico testimonio quid enucleatius, et ad componendam litem adferri aptius potest? Et *ad Coloss. cap. I.* Deus est, ait, QUI DIGNOS NOS FACIT IN PARTEM SORTIS SANCTORUM. Quae autem ista sors sanctorum? non sola fides certe, aut gratia, sed aeterna beatitudo. Et *ad Corinth.* QUIS ENIM TE DISCERNIT? QUID AUTEM HABES, QUOD NON ACCEPISTI? SI AUTEM ACCEPISTI, QUID GLORIARIS QUASI NON ACCEPERIS? Nihil igitur hominem discernit, nisi una Dei gratia, de qua nemini gloriandum, quoniam gratuitum Dei donum est.

SCHOLION. Non tantum ex hoc Apostoli effato evincitur, non discerni fidelem ab infideli per bonum usum liberi arbitrii, sed etiam non discerni per liberam cooperationem gratiae praevenientis, quasi ipsa cooperatio non sit donum Dei; nam adhuc posset fidelis inflari, et dicere: discernit me cooperatio mea, ego enim cooperatus sum, ille cooperatus non est, quum eadem praeveniens gra-

tia donata nobis esset. Praeripit igitur Apostolus omnem inflationis ansam, atque in eo est, ut fideles intelligant, hoc ipsum, quod fideles sunt, donum esse Dei sibi gratis datum, aliis non datum (68).

---

(68) Pelagianis, et Semipelagianis iterum iterumque ab Augustino fugatis, ea obtinuit apud Theologos omnes sententia, Deum ex damnata hominum massa quosdam tantum voluisse gratuita electione ex sua voluntate liberare, atque iisdem ea efficacissima suae gratiae auxilia praeparasse, quibus infallibiliter, et libere simul, aeternam gloriam consequerentur, reliquis aliis in promerita damnatione iustissime derelictis. Clarissimam omnium veritatem, Divini verbi fundamento inaedificatam, Scholastici omnes, sive ex Augustini, sive ex Thomae familia, in statu naturae lapsae unanimi consensu propugnant. Sed iam prope ad occasum propinquabat Saeculum XVI. quum ex Societate Iesu eruperit P. Ludovicus Molina, Divinam gratiam cum humana libertate conciliaturus. Novo invecto per Molinam systemate de scientia media, et de gratia versatili, nova etiam invecta est de sancta Dei praedestinatione doctrina, Deum enim homines ad gloriam praedestinasse docuit *secundum praescientiam boni usus liberi arbitrii*, ut in *Concord. quaest. XXIII. art. 4. et sequ.* Verum seipsum fefellit Molina, non Theologos, si paucos ex eadem Societate excipias, con-

III. Geminos praeterea fratres Iacobum, et Esau aliquantisper contemplemur, quorum ille praedestinatorum typus, iste reproborum. CUM NONDUM, ait Paullus ad *Rom. IX.* NATI FUISSENT, AUT ALIQUID BONI EGISSENT, AUT MALI (UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEI MANERET), NON EX OPERIBUS, SED EX VOCANTE DICTUM EST EI (Rebeccae matri) QUIA MAIOR SERVIET MINORI, SICUT SCRIPTUM EST, IACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI. Habes igitur Iacobum electum, Esau reprobatum, non ex operibus eorum, sed ille ex praedestinatione ante opera praevisa, hic ex reprobatione (69).

---

tra quos satis superque erit opponere Bellarminum, qui gratuitam ante praevisa merita praedestinationem, *non quorumvis doctorum opinionem*, *sed Ecclesiae Catholicae fidem* adpellat. Sed de hac re fusius inferne.

(69) Manifestissime Apostoli locus de electione ad gloriam accipiendus est, quemadmodum interpretati sunt cum S. Augustinus in *Enchir. cap. XCVIII.* S. Gregorius P. M. *Moral. lib. XXIX. cap.* 15. Beda in *Comment. in Epist. Paul.* S. Remigius *lib. de ten. ver. Script.* et ut sexcentos alios mittam, S. Thomas, quem audire praestat in *Lect. II.* in hunc locum: *Sicut dilectio, de qua hic loquitur, pertinet ad aeternam Dei prae-*

IV. At insipientis pervicaciam iam nunc retundit Apostolus: QUID ERGO DICEMUS?

---

destinationem, ita etiam odium, de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores. . . . . Sicut praedestinatio est praeparatio gloriae, ita reprobatio est praeparatio poenae. Differt autem, quod praedestinatio importat praeparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat praeparationem peccatorum, quibus pervenitur ad poenam. Et ideo praescientia meritorum non potest esse aliqua ratio praedestinationis, quia merita praescita cadunt sub praedestinatione: sed praescientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte poenae, quae praeparatur reprobatis.

Contendunt tamen nescio qui ex Molinianorum familia, his Apostoli verbis non indicari electos, et reprobos, sed duos populos Israeliticum, et Idumaeum. Quum enim Rebecca Deum consuleret, cur parvuli, quos gerebat in utero, inter se collidérentur, responsum est ei: DUAE GENTES SUNT IN UTERO TUO, ET DUO POPULI EX VENTRE TUO DIVIDENTUR, POPULUSQUE POPULUM SUPERABIT, ET MAIOR SERVIET MINORI. Omnia pulchre! Verum non disputamus de testimonio Genesis, sed de testimonio Apostoli, qui historiam illam, quae ad duos populos pertinet, et ad bona et mala temporalia, mystice ad electos, et reprobos si-

NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM? ABSIT. MOYSI ENIM DICIT: MISEREBOR CUI MISEREOR, ET MISERICORDIAM PRAESTABO CUI MISEREBOR. IGITUR NON VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI. . . ERGO CUIUS VULT, MISERETUR, ET QUEM VULT, INDURAT. Adverte hinc electorum praedestinationem gratuitam esse, nec ab hominum meritis, sed a Dei misericordia unice pendere.

V. Porro ne impius quis impio ore veluti iniustam huiusmodi electionem accuset, insurgit Paullus: O HOMO, TU QUIS ES QUI RESPONDEAS DEO? NUMQUID DICIT FIGMENTUM EI, QUI SE FINXIT: QUID ME FECISTI SIC? AN NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI, EX EADEM

---

gnificandos exposuit. Quod ibi traditur de Iacobo, hic de electis explicat, et quod de Esau dicitur, de reprobis accipit; Audisti terram promissionis? haec est vita aeterna cum Deo; Audisti: posui montes Esau in solitudinem, et hereditatem eius in dracones deserti? hanc, ait Beatus Paullus, esse mortem aeternam cum diabolo. Quae igitur veteris Testamenti mystica est expositio, eadem est pura puta litteralis sententia novi Testamenti. An eam destruere audebis?

MASSA FACERE ALIUD QUIDEM VAS IN HONOREM, ET ALIUD IN CONTUMELIAM? Sed ne crudelem Deum audeas putare, Esau reprobatum ait ex iustitia Dei, Iacobum ex misericordia: QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SUAM, SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRAE APTA IN INTERITUM, UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIAE SUAE IN VASA MISERICORDIAE, QUAE PRAEPARAVIT IN GLORIAM. At vero vasa ista misericordiae praeparata in gloriam, non ii sunt, qui praedestinati sunt ad gratiam, sed qui ad gratiam, et ad gloriam praedestinati sunt.

SCHOLION. Praedestinatio igitur ad gloriam gratuita est; cave tamen idipsum de reprobatione teneas, qui Calvini error fuit, et Supralapsariorum. Discrimen habes in ipsis Apostoli verbis, electos enim adpellat *vasa praeparata* in gloriam, reprobos vero *vasa* irae *apta* in interitum; apta nimirum ex seipsis propter peccata, quorum Deus auctor non est.

VII. Sed utriusque Testamenti tabulas excutias quantumlibet, nulla prorsus occurret electio, quae a gratuita Dei voluntate non proficiscatur. Invenies Abraham primum electorum omnium typum, qui et pater credentium

omnium, et heres mundi ab Apostolo adpellatur, non ex praevisis meritis, sed ex gratuita Dei misericordia electum. Offendes inter filios eius Isaacum, et Ismaelem, unum gratuito electum Isaacum. Ex geminis Isaaci filiis Iacobum gratis electum accipies, ut iam animadversum. Ex duodecim Iacobi filiis Iudam ex gratuita Dei voluntate electum, de cuius tribu non ablaturum sceptrum spoponderat Deus, donec ex ea Expectatus Redemptor, qui mittendus erat, nasceretur. Gratuita porro sunt dona gratiae; et si gratuita etiam dona corporis, quanto magis gratuita erit, et ante praevisa merita, praedestinatio ad gloriam, quae est donum donorum omnium augustissimum?

VII. Alter autem reliquus est Apostoli Paulli textus *ad Ephes.* I: 4. quem perorationis loco heic expendere pretium operae erit. ELEGIT NOS, ait, IN IPSO ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, UT ESSEMUS SANCTI, ET IMMACULATI IN CONSPECTU EIUS IN CARITATE; QUI PRAEDESTINAVIT NOS IN ADOPTIONEM FILIORUM PER IESUM CHRISTUM IN IPSUM, SECUNDUM PROPOSITUM VOLUNTATIS SUAE. Hem qui novus hinc campus ad gratuitam, et nullo libertatis humanae aestu fru-

strabilem, praedestinationem confirmandam patet! Non enim propter opera nostra, sed lapsu nostro dumtaxat praeviso, statim Deus in Verbi sui incarnatione constituit novum et inconcussum reparatae salutis nostrae fundamentum, nosque illi inaedificavit, et concorporales effecit ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, nempe aeterna sua praedestinatione.

VIII. Praedestinavit igitur nos Deus non secundum opera nostra, operumque praescientiam suam, sed SECUNDUM PROPOSITUM VOLUNTATIS SUAE, et gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora aeterna, non quia eramus, sed UT ESSEMUS SANCTI, ET IMMACULATI. Verum ipsam aeterni propositi molem, et gratiam in Christo praefundavit; seu Verbo suo ceu fundamento superstruxit, ut verbi incommutabilitate nostra salus fulciretur, nec ulla rursus alia vi concuti, aut labefactari posset. Quamobrem electorum praedestinatio, si non in aestuoso libertatis nostrae vado versatur, sed in Christo fundata nititur, quomodo gratuita non erit?

SECTIO III.

Constans Augustini doctrina in constabilienda Gratuita Praedestinatione.

I. Quotiescumque de Sancta Dei praedestinatione disputatio oriatur, Augustino uni omnium Pelagianae haeresis invictissimo debellatori, quem, Hieronymo testante, Catholici *conditorem antiquae rursum fidei venerantur, atque suspiciunt*, adhaerendum esse, nemo fortasse unus inficiaturus erit. Is enim styge, heu quantum immani! triumphata, vel cum ipso diabolo pugnaturus, Sanctissimae doctrinae signum longe conspicuum in Christi Ecclesia explicavit, sub quo et sequioris aetatis Patres quotquot fuerunt, Patrumque concilia, et Theologi omnes ad hanc usque aetatem meruerunt.

II. Quae porro ista Augustini doctrina est, nisi ipsissima ea, quam Christus millies docuerat? quam Paullus Apostolus aperte praedicaverat? Age Sanctissimi Pontificis mentem sedulo inquiramus. Sane a praedestinatione Christi sermonem auspicemur, de qua sic Augustinus *cap. XV. de Praedest. Sanct. Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis, et gratiae ipse Salvator, ipse mediator Dei, et*

hominum, homo Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei praecedentibus meritis, natura humana, quae in illo est, comparavit? Respondeatur quaeso, ille homo ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem Personae adsumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque praecessit? Quod egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Christus igitur praeclarissimum est nostrae praedestinationis exemplar, quod unice intueamur oportet. Quod si praedestinatio Christi ad hypostaticam unionem, ad sanctitatem, et ad gloriam gratuita omnino fuit, quomodo autem electorum praedestinatio gratuita non erit? Hinc praeclare subdit Augustinus: *Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi praedestinati sumus, ut membra eius essemus. Humana hinc merita conticescant, quae perierunt per Adam: ut regnet quae regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.*

III. Singularem hinc vocationem, qua electi trahuntur, e vestigio Clarissimus Pontifex pandit: *Vocat enim Deus praedestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra praedestinati unici Filii sui. Ad hanc vocationem*

qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, potest eorum quisquam dicere : credidi ut sic vocarer : praevenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est ut crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt, et didicerunt a Patre per filium, qui evidentissime dicit : omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne, quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit ; nec erit inde qui pereat. Quemadmodum igitur nullis praecedentibus meritis praedestinatus fuit Christus ut esset caput nostrum ; ita et nullis praevisis meritis, qui electi sunt a Deo praedestinantur, ut sint membra Christi.

IV. Adversarios autem suos parvulorum exemplo non vice simplici exagitat Augustinus, quos certe Deus non potuit meritorum intuitu ad gloriam eligere, quum nulla ipsi prorsus merita haberent. Quare *de don. Persev. cap. IX. De duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis cur iste assumatur, ille relinquatur?* atque mox de adultis : *et ex duobus aetate tam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur? Inscrutabilia sunt iudicia*

Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur ? inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud autem fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse (70).

---

(70) Praeclarissimum Augustini locum in hanc rem (ibidem *cap. XI.*) piaculum esset praeterire: *Ex ore infantium, et lactentium suam Deus perfecit laudem, ut quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla praecedunt; et in his, quorum damnationem utrisque communia originalia sola praecedunt; hoc et in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur* . . . . Et *cap. XII. Nulla merita, etiam secundum ipsos Pelagianos, possunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii vero alienentur a regno. Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire; cum sit utrisque caussa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur? quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in caelis est: aut parentum negligentiae sic tribuendum est, quod parvuli sine baptismate moriuntur, ut nihil ibi agant superna iudicia? Quid dicam quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? plerumque enim festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paullulum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid etiam,*

V. Et ex gratuito perseverantiae dono, gratuitam hinc evincit praedestinationem (*Lib. de corrept. et grat. cap. IX.*) *Nec nos moveat quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim, ut ita esset, si de illis praedestinatis essent, et secundum propositum vocatis, qui vere sunt filii promissionis. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis; Fuerunt isti ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt.*

VI. Omnem porro hominis ab homine discretionem ab una Dei voluntate pendere, opportune Sanctissimus Pater docet in *Epist. ad Xistum CXCIV. cap. VI. Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caveat praecipitium.* Et iam ante *cap. III. Cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, et apud quem non est iniquitas; dum cuius vult, miseretur,*

quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, et filiis fidelium non potuit baptismate subveniri?

et quem vult, *indurat*. Et mox : *Acceptio personarum nulla fit*, *ubi omnes una*, *eademque massa damnationis*, *et offensionis involvit* : *ut liberatus de non liberato discat*, *quod etiam sibi supplicium convenerit*, *nisi gratia subveniret. Si autem gratia*, *utique non operibus reddita*, *sed gratuita bonitate donata*.

VII. Finem numquam noster hic sermo nacturus esset, si omnia conradere in animo esset invictissima Hipponensis Praesulis argumenta, quibus Pelagianos fugavit; fugavit? immo interemit! At haec satis esse possunt, ut omnibus constet pro gratuita Dei praedestinatione acerrime pugnasse Augustinum, Patrum omnium latinorum Principem, cuius de gratia doctrinam vere Catholicam esse, uno ore Catholicus orbis universus fatetur (71).

---

(71) Loqui Augustinum de gratuita praedestinatione ad gloriam, vel ex eo apertissime patet, quod Pelagio resistebat, qui de electione ad gloriam loquebatur, contendens eam non ex gratuita Dei misericordia, sed ex praevisione bonorum operum proficisci. Neminem tamen de Augustini mente dubitaturum puto, postquam Cl. Petavius, et ipse Molina in *Concord. quaest. XXIII, art. 4. et seq.* confessi sint pro gratuita electione ad gloriam Augustinum pugnasse.

Sectio VI.

Constans Hieronymi, Patrumque, qui post Augustinum floruerunt, auctoritas in constabilienda Gratuitae Praedestinationis doctrina.

I. Hieronymum quanti fecerit Augustinus, quanti et Augustinum Hieronymus, nemo unus ignorat. Sed exorta iam Pelagiana haeresi, quantae insuper admirationi fuerit Augustini doctrina Hyeronimo, nequeo certe pro dignitate adsequi. Legerat nempe hic quae ad profligandam tantam pestem intenderat ille, et ad Augustinum scribens ait: *Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: in silvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Nimirum Hieronymus et ipse libros adversus Pelagiana deliria lucubrarat, de quorum pretio locupletissimum testem Prosperum habemus in Carmine *de ingratis*:

Tunc etiam Bethlem praeclari nominis hospes,
Hebraeo simul, et Graio, latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundiq. magister

Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.

II. Porro hinc par, et ipsissima Augustini doctrina est, et Hieronymi; adeo nempe inter se amice conspirant! Longum tamen esset argumenta heic omnia persequi, quae in suis libris adversus Pelagianos praeclare Sanctus Pater tractavit. Unum seligamus ex *Lib. III. Omnis hominum fortitudo marcescit, et deperit, si a Dei auxilio deseratur. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quando dicit: Nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem: quod etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, nisi Pater meus coelestis traxerit eum, ne quidquam cupiat, et frustra nitatur. Simul et hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut detrectans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non potest suis viribus, et labore venire ad Iesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare, et vitare in perpetuum, et Dei sibi potentiae nomen adsumere?*

III. Sed apertius pro gratuita Dei praedestinatione stat Clarissimus Pater in *Paul. Epist. ad Ephes. Non enim ait Paulus, ele-*

git nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti, et immaculati, hoc est, qui sancti et immaculati ante non fuimus, et postea essemus. Quod ita intellectum, et adversus eum facit, qui antequam mundus fieret, animas dicit electas esse propter sanctitatem, et nullum vitium peccatorum. » Non enim, ut antehac animadvertimus, eliguntur Paullus, et qui ei similes sunt, quia erant sancti, et immaculati: sed eliguntur, et praedestinantur, ut in consequenti vita per opera, atque virtutes sancti, et immaculati fiant ».

IV. Strenuissimos duces sequuta est clarissimorum Patrum cohors. Et S. Prosper primo suam promit doctrinam in *Epist. ad Rufin de gratia et lib. arb. cap. II. Ab hac autem confessione gratiae Dei ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio praedicatur, et qualis opere suae potestatis cognoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per saecula cuncta natorum certus apud Deum, definitusque sit numerus praedestinati in vitam aeternam populi, et secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiae contraire.*

V. Prospero S. Fulgentius succedit, quem

audire praestat in *lib. de Incarnat. et grat. ad Graec. Habetis dilectissimi fratres paucis expressam fidei nostrae, confessionisque sententiam. Deus qui hominem condidit, ipse praedestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiae ad proficiendum, atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, praeparavit, quippe non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabili voluntate habet dispositum. Cuius praedestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem praedestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre; si ante ultimum diem vitae praesentis, impietatis suae contumaciam non abiecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, et praedestinavit ad regnum.*

VI. Habemus quoque S. Hormisdam de Augustini doctrina praeclare sentientem (*Epist. ad Possessorem*) *De libero arbitrio, et de Dei gratia quid Catholica Romana Ecclesia sequatur, et asseveret, adprime ex variis Beati Augustini libris cognosci posse.* Gratuitam praedestinationem et calculo suo Gre-

gorius Magnus confirmat *Lib. II. Dialog. cap. VIII. Ipsa quoque perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando merentur accipere, quod eis omnipotens Deus ante saecula disposuit dare.*

VII. Idem sensit S. Bernardus *Serm. XXIII. in Cantic. num.* 17. *in verba Ioan.* OMNIS QUI NATUS EST EX DEO NON PECCAT, SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM. *Generatio coelestis aeterna praedestinatio est, qua electos suos Deus dilexit . . hos ergo advertit quasi numquam peccasse, quoniam etsi qua qua deliquisse videntur in tempore, non adparent in aeternitate quia caritas Patris cooperit multitudinem peccatorum.* Et *Serm. LXXVIII. num.* 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostrae salutis tria esse quaedam, quae sibi vindicat auctor Deus, praevenitque in illis auxiliatores, et cooperatores suos, praedestinationem, creationem, inspirationem.* Quid quaeso clarius? quemadmodum creatio, et inspiratio non sunt ex praevisis meritis, ita nec praedestinatio.

VIII. Porro in eadem propugnanda doctrina totus est S. Thomas (*I. P. quaest. XXIII. art. V.*) *Quare hos elegit in gloriam, et*

illos reprobavit , non habeo rationem , nisi divinam voluntatem. Unde Augustinus dicit supra Ioannem : quare hunc trahat , illum non trahat , noli velle diudicare , si non vis errare , sicut ex simplici voluntate artificis dependet quod ille lapis est in ista parte parietis ; et ille in alia , quamvis ratio artis habeat quod aliqui sint in hac , aliqui in illa. Neque propter hoc est iniquitas apud Deum , si inaequalia non inaequalibus praepararet ; in his enim , quae ex gratia dantur , potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus vel minus absque praeiudicio iustitiae. Atque haec sufficiant , ut in gratuitae praedestinationis doctrina consentientes post Augustinum patres habeas omnes.

SECTIO V.

Consensus Graecorum, Latinorumq. Patrum qui ante Augustinum floruerunt, in constabilienda gratiae , et praedestinationis necessitate ante praevisa merita.

I. Quod ubique , quod semper , quod ab omnibus creditum est , id teneamus. Nimirum gratiae , merita omnia praevenientis , ne-

cessitatem, et electorum praedestinationem secundum gratiam, non secundum merita, non modo in sancta Christi Ecclesia Patres, qui Augustinum sequuti sunt, sed et ii quoque qui longe ejus aetatem praecesserunt constantissime tuentur. Licet enim priusquam Pelagianorum haeresis oriretur, non habuerunt Patres, ut ait Augustinus, necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur, plerique tamen omnes pro re nata invictissimis argumentis rem prope confecerunt. Quid? Ipsum audi Augustinum, iterum iterumque Iuliano istam Patrum consensionem opponentem, quae cuilibet Synodo ait aequiparari posse, immo et anteferri: *Si in concilio, cuius videris desiderare iudicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ioannes Constantinopolitanus, ut alios taceam; numquid doctiores, prudentiores, veraciores iudices quaerere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis vestra scripta condemnant.*

II. Porro constantem istam Patrum doctrinam operae pretium erit in medium proferre, ut ab eorum consensione obstinatissimus quisque convincatur. Et primo chorum

ducet Clemens Romanus in *Epist. ad Corinth. Misericordem Patrem nostrum diligentes, in sanctitate cordis accedamus ad ipsum, qui nos sibi ipsi electionis sortem fecit.* Et *ibid.* mox; *Omnes igitur glorificati, et magnificati sunt, non per seipsos, aut eorum opera, aut iustas actiones, quas patrarunt; sed per voluntatem Dei.* Et paulo post: *Beati sumus dilecti, si praecepta Domini in charitate impleverimus; ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur. Scriptum est enim, beati quorum remissae sunt iniquitates. Haec beatitudo contingit eis qui per Iesum Christum Dominum nostrum a Deo sunt electi.* Quid clarius? habes praevenientem gratiam, et gratiae electionem, et peccatorum remissionem non ex meritis ullis nostris, sed ex sola Dei Omnipotentis voluntate, et misericordia.

III. Succedit Justinus in *Dialog. cum Tryphone*: *Si videmus nec filium Dei viribus suis, aut sapientiae ferre acceptam salutem, cum tamen sit innocentissimus, ac ne verbo quidem peccarit, nec putare se posse sine Deo salvum evadere: qui fieri potest, ut vos et alii quicumque sine hac spe salutem expectant, non seipsos decipiant?* Non igitur viribus nostris, sed ex Dei largitate nobis salus donatur.

IV. Praeclare insuper Irenaeus *Lib. IV. cap.*

LXX. Est autem hic Pater Domini n ostri Iesu Christi, cuius providentia constant omnia, et iussu administrantur omnia. Et gratuito quidem donat in quos oportet: secundum autem meritum dignissime attribuit in ingratos, et non sentientes benignitatem eius iustissimus retributor. Poena igitur secundum meritum a Deo iustissimo retributore infligitur; gratia vero, et gloria gratuito datur, et in quos oportet, nempe in eos qui praedestinati sunt.

V. Audiendus quoque Clemens Alexandrinus *Stromat. lib. V. Si quis altercans dicat, quomodo fieri potest, ut caro imbecilla resistat potestatibus, et spiritibus dominationum? Illud sciat quod Omnipotenti Domino freti, in eoque habentes fiduciam, adversamur potestatibus tenebrarum et morti. Adhuc te loquente, inquit, dicet, Ecce adsum. Vides adiutorem invictum, qui nos defendit.* Intelliges hinc omnem nostram de adversis potestatibus victoriam non nostris meritis, non nostro conatu, sed omnipotenti, et invicto Deo adscribendam.

VI. Sed et magni nunc refert Origenis doctrinam expiscare, quem Ecclesiarum magistrum Hieronymus vocat. Sic ipse *Hom. IX. in Ezech. Si quis conscius puritatis suae, seipsum glorificaverit, non habens memoriam*

illius dicti: quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis, *relinquitur: et derelictus discit experimento; quia in his bonis*, *quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui extitit caussa*, *quam Deus qui virtutum omnium fons est* (72). Et omnino praeclare in *Tract. VII. in Matth. Ad hoc adduxit eos*, *maxime Petrum magna de se confidentem*, *ut videant*, *et audiant ubi est posse hominis*, *et quomodo impetratur. Videant Christum cadentem in faciem suam, audiant dicentem*: *Pater si possibile est*,

(72) Id praestat heic quammaxime animadvertere, Origenem in *Lib. III. de Principiis* docuisse, singulos ex seipsis, merita, caussas, et occasiones praestitisse conditori, ut fieret quisque vas vel in honorem, vel in contumeliam. Quid indignius hoc sermone? Sed fateor equidem, haec a Rufino, vel a quovis alio eiusdem furfuris vel addita, vel vitiata. Quid? nisi id fatearis, certe fatendum erit, stultissimum esse Origenem, qui in eodem capite aperte sibi adversatur: ait enim « contulit Deus etiam indignis et incredulis benefactorum suorum gratiam, ut vere omne os obstruatur, totumque a se, et nihil a Deo esse sibi mens humana cognoscat, *perditionis* suae scilicet «. Et mox » a nobis dependendus est labor, a Deo speranda est salus ». Quaeso qui id antea edixerat, an statim haec subdere poterat? Credat, qui volet, non ego.

transeat calix iste a me. Et discant non magna de se sapere, sed humilia aestimare; Nec veloces esse ad promittendum, sed solliciti ad orandum. Quid quaeso illustrius?

VII. Ambos nunc Gregorios audi, Nazianzenum nempe, et Nyssenum. Sic ille in *Orat. XXXI. Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Cum audieris quibus datum est, adde* δεδοται μεν τοις καλουμενοις, και τοις τουτο νηυσι i. e. *datum est vocatis, et annuentibus* (pessime enim se habet versio: *datum est volentibus*, *atque iis qui ea animi propensione sunt.*). Nyssenus porro in *Ps. c. VIII. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Significat, quod quidquid boni et salutaris a Deo hominibus venit, id universum venerit gratia et bonitate illius; cum in nobis nulla eius accipiendi caussa inesset.* Et *cap. XIV. Nam gratis hominibus salus a te venit, non ex operibus iustitiae, sed ex sola gratia tua.*

VIII. Mirum quantum et Basilius in *Ps. XXIX*, pro gratia stat, quae merita omnia praevenit. *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Et unde facultas mihi suppetet te exaltandi? Quoniam tu me praeve-*

probari propter propria mala merita, sed in eos gratiae electio primogenituram transtulit ut donantis auctoritas suspiciatur.

IX. Sed missis Athanasio, et Cyrillo, quos districto gladio pro Dei gratia praeveniente stetisse omnibus constat, ad Chrysostomum veniamus, quem aiunt ab Augustino discrepare. Quum autem de Chrysostomo quaeritur, merito quidem eius discutienda doctrina, siquidem de universa Orientali Ecclesia quaeri videtur, quae totam se huiusce Patris magisterio mancipavit. Porro in quo Chrysostomus ab Augustino discrepet omnino non video. Scio namque iterum iterumque Augustinum in Pelagianis exagitandis Chrysostomo et duce, et commilitone usum esse: Scio, haec scripsisse Chrysostomum in *Epist. I. ad Corinth. Hom. 1. Vocatus Apostolus. Vide ut arrogantiam deiiciat, seipsum dicens, vocatum. Non enim ego, inquit, inveni quod didici, neque mea comprehendi sapientia. Sed quum Ecclesiam persequerer, et depopularer, vocatus sum. Hic eius qui vocat, est universum: eius autem qui vocatus fuit, nihil est, ut semel dicam, nisi quod obedierit. Per voluntatem Dei: Deus enim hoc voluit, ut sic vos salvi essetis. Nos ergo nihil recte egimus. Sed per voluntatem Dei*

salutem invenimus. Et quoniam ei visum est, vocati fuimus, non quoniam digni eramus. Quam pulchre gratuitam praedestinationem tuetur Chrysostomus! Et ibid. *Hom. II. Ubi est gratia, non sunt opera, ubi sunt opera, non amplius est gratia. Si ergo est gratia cur efferimini?* Et ibid. *Homil. V. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Omnia enim propter hoc facit Deus, ut nihil nobis imputemus, ut omnia Deo adscribamus.*

X. A Graecis Patribus iam nunc expediti ad Latinos veniamus, quorum primus Tertullianus se nobis sistit. Is in *Lib. de anima*: *Ergo*, ait, *si ita est, neque de lapidibus filios Abrahae suscitare poterit Deus, nec genimina viperarum facere poenitentiae fructus. Et erravit Apostolus scribens: Eratis et vos aliquando tenebrae: et fuimus nos aliquando filii irae, et in his vos quoque fuistis, sed abluti estis. Sed numquam discordabunt sententiae sanctae. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur, et bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filii Abrahae fient, si in fidem Abrahae formentur. Et genimina viperarum fructum poenitentiae facient, si venena*

malignitatis expuerint. Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem. Vides hinc et mali expuendi, et boni inserendi potestatem Divinae gratiae adscribi a Tertulliano.

XI. Tertulliano S. Cyprianus succedit. Quis, tamen ignorat, Augustinum Cypriani armis non vice simplici in Pelagianos irruisse? audi, eum *De praedest. Sanct. cap. III. Legite aliquanto intensius expositionem Cypriani Martyris in libro de Dominica Oratione, et videte ante quot annos contra ea quae futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum praeparatum. Ut supradicti haeretici novi, inimici gratiae Christi, longe ante reperiantur esse convicti, quam nati* (73). Testimonium hinc longe luculentis-

(73) Accedit, quod Augustinus ipse fatetur in *Lib. de Praedest. Sanct. cap. III.* se aliquando errasse in negotio gratiae, et resipuisse, numquam tamen Cyprianum: *Non sic pius, atque humilis doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem, dicentem: quid autem habes, quod glorieris, quasi non acceperis? Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum si-*

simum Hipponensis Pontifex ex Cypriano in *libel.* potissimum *de Oratione Dominica ad Bonifac. lib. IV.* excerpit, cui mox superaddit: *Numquid iste sanctus* (Cyprianus) *liberum arbitrium negat in hominibus? Numquid sub nomine gratiae fatum adserit, quamvis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit? . . . quando nostrum nihil esse adserens, propter hoc Apostolum dixisse commemorat: Quid enim habes, quod non accepisti? virtutemque excellentissimam, hoc est, patientiam, non a nobis dicit incipere ac deinde adiuvari Spiritu Dei: sed ab ipso caput, ab ipso originem sumere. Postremo nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine Dei gratia incipere, et esse in hominibus confitetur, cum dicit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Respondeant haeretici novi, quid bonorum meritorum praecedat in hominibus inimicis nomini Christiano. Non solum enim non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum. Et tamen etiam*

---

militer errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo.

sic Cyprianus intelligit, quod in Oratione dicimus, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra: ut et pro ipsis, qui propter hoc terra dicuntur, oremus. Oremus ergo non solum pro nolentibus, sed etiam pro repugnantibus, et oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo, de quo dictum est: Praeparatur voluntas a Domino?

XII. Cypriano subit Ambrosius, quem millies Augustinus Pelagianis opponit. Ecce tibi illum disserentem de *Abel*, et *Cain lib. II. cap. VII. Disce quemadmodum unusquisque moneatur, ne seipsum auctorem suorum putet bonorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo, virtus mea, et patientia mea fecit mihi virtutem hanc magnam; sed in mente tua habebis Dominum Deum tuum, quoniam ipse dat vires, ut facias virtutes.* Et in *lib. I. quidquid sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia.* Et in *cap. III. Lucae: Vides utique quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino.* Sed Augustinus, qui Ambrosii testimonia num-

quam non in sua caussa adclamabat, sic habet *de grat. Chr.*, *cap.* 46. *Ipsam denique poenitentiam, quam proculdubio voluntas agit, Domini misericordia, et adiutorio fieri ut agatur. In decimo eiusdem operis libro beatus dicit Ambrosius, ita loquens: Bonae lacrimae, quae culpam lavant. Denique quos Deus respicit; plorant delictum. Negavit primo Petrus, et non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit et tertio, respexit Iesus, et amarissime flevit.*

XIII. Sed maximum quoque pondus ad orthodoxam gratuitae praedestinationis fidem confirmandam accedit ex vetustis Ecclesiae Sacramentariis, et Orationibus. Hinc in Missali Gothico in Missa S. Stephani: *Deus qui gloriaris in conventu Sanctorum tuorum, quos ante mundi constitutionem praeelectos spiritali in coelestibus benedictione signasti*, cet. Et in Orationali Gothico-Hispano: *Quaesumus Domine ut vincula peccatorum, quibus vincti detinentur, miseratus disrumpas, et cunctos iustificatos digiti tui calamo in libro vitae conscribas.* Et ibidem alibi: *Domine praesta ut cum his, qui ad vitam aeternam praescripti sunt, tibi modulo pietatis psallamus, atque in delectationibus tuis consortium beatitudinis mereamur.*

SCHOLION. Novi utique, plura veterum Patrum testimonia ab adversariis adglomerari, ut evincant, Electos nonnisi ex meritorum praevisione praedestinatos esse ad gloriam. Verum incassum sudant. Quae enim huiusmodi occurrunt apud S. Patres non de prima electione, sive de aeterna praedestinatione, sed de consequenti, sive de praedestinationis executione in tempore intelligenda sunt. Quum enim verba ad populum plerumque Patres facerent, de temporali potius adsumptione electorum ad gloriam, quae fidelium menti adcomodatior est, quam de aeterna eorumdem praeordinatione loqui consueverant. Sane id ipsum populo nullo non tempore inculcare solemus: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.* Ceterum si quid duriusculum est apud veteres Patres, quod vix deglutire possint adversarii, animadvertant quaeso, magis eos sollicitos fuisse in vindicanda arbitrii libertate, quam Simoniani, Marcionitae, et Manichaei evertere adnitebantur, quam in tota gratiae Dei oeconomia explicanda, cui nemo struxerat insidias. Nonne duriora quidem, animo tamen catholico, scripsere Patres, qui Arium praecesserunt? An non Cyrillus acerrimus ille antiquae fidei propugnator compul-

sus est explicare nonnulla operum suorum loca, quibus Eutychiani, posthac exorti; suum stabilire conabantur errorem? Quin et Pelagiani plura contra Sanctum Augustinum detorquebant, quae Sanctus Pater, nondum eorum haeresi orta, contra Manichaeos scripserat. Verumtamen, ut iterum moneam, quae nobis ex antiquiorum Patrum penu opponuntur nullam sane pariunt difficultatem, modo rite explicentur. Adducunt adversus catholicam sententiam S. Hilarium *in Ps. LXIV. Non res indiscreti iudicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo, quem elegit Deus. Beatus ob id, quia electione sit dignus.* Quid? vel ex ipsis Psalmi verbis, quem Hilarius exponebat: *Beatus, quem elegisti, et* ADSUMPSISTI, INHABITABIT *in atriis tuis*, apertissime patet, Sanctum Doctorem nonnisi de temporali adsumptione electorum ad Regnum loquutum fuisse? Huiusmodi sunt cetera, quae non moror. Addam illud, quod S. Prosper in Epistola ad Augustinum scribit Semipelagianos coactos fuisse fateri se nihil in antiquis reperisse, quod suae opinioni faveret. Addam denique, Catholicos Scriptores numquam recessisse a communi Catholicorum sententia, quam luculentissime praedicabant S. Cyprianus in Africa, S. Gre-

gorius Nazianzenus in Oriente, et S. Ambrosius in Occidente; quorum testimoniis suam invictissime confirmabat doctrinam S. Augustinus. Teneamus idem depositum.

PERORATIO.

Satis iam superque ex Sanctis utriusque Foederis tabulis evicimus, quosdam ex universo humano genere ad caelestem gloriam efficaciter, et gratis ex Divina benignitate ante praevisa merita electos. Hanc secundum Sanctas Scripturas praedestinationem doctissimi quique Graeci, Latinique Patres tenuerunt. Hanc adversus delirantes Pelagianos tuitus est Augustinus, cuius iudicio universa Christianorum Ecclesia quiescit; quique post tantas concertationes id demum edicit in *lib. de Don. Persever. cap. XVIII. Hoc scio neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturam Sanctam defendimus, nisi errando disputare potuisse.*

Hanc ipsam Sanctam praedestinationem non a meritis hominum, sed ab una Dei benignitate pendentem, ponderosissima argumentationum momenta suadent, quae compendiaria

oratione perstringimus. I. Hominum praedestinatio eodem sane pacto persolvenda est, quo Christi praedestinatio constitit; iisdem enim legibus oportet, ut capiti suo membra subdantur, quibus praeesse caput debet suis membris. Verum ad Redemptionis opus gratis fuisse Christum electum, certissimum est, et extra omnem dubitationis aleam; nam ut Augustini verbis utar *Lib. de Praedest. Sanct. cap. XV. Ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae adsumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod eius bonum qualecumque praecessit? Quid egit ante? quid credidit, quid petiit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Sane ad hanc pervenit, *nullis suis praecedentibus meritis, sed singulari Dei munere.* II. A substantia intelligente, quae in electionibus suis rite procedat, finis ante intenditur, quam media; media enim dantur ad finem, ut ob quaestum mercator mari se committat, medicinam ad recuperandam sanitatem deglutiat aeger. Porro quum gloria, hominibus impertienda, rationem finis obtineat, et bona opera nonnisi media sint ad finis consequutionem; opus est idcirco, merita veluti effectus consequantur, iisque praedestinatio, ut finis, praecedat. III. Parvuli ad salutem non secus

decernuntur, ac homines adulti; quemadmodum hinc infantes multi, quin ulla bona ediderint merita, accepto baptismate mortui, in aeternam beatitatem admittuntur (si suspiceris enim servari illos ob acta, quae persolvissent, si vixissent, Semipelagianum te prodis); sic omnino concludendum, ex gratuita Dei voluntate universos homines salvos fieri, non ex praevisione meritorum. IV. Scimus homines non adeo improbos ad interitum perduci, vitaeque donari scelestissimos, et impios; Latro namque, et Saulus, qui in multiplici criminum genere sese ingurgitarunt, evasere incolumes, dum exitium pertulere nonnulli veteres philosophi, quos praeter fidei absentiam nullum polluebat grave flagitium. Invictum sane hinc gratuitae praedestinationis suppetit argumentum. V. Convertamus parumpur mentem ad communem providentiam. Quanta qua qua versus testimonia, quae propositum Dei absolutum evincunt, et ab hominum conatibus omnino intentatum! In uno tecto, intra eosdem muros, ex eodem patre, ex eadem matre, uni ingenium datur, alterum stupor obsidet, ille sanus, iste infirmus, ille in tanta nominis fama, hic in obscuritate, et quid reliqua moror? Unus dator omnium, unus dispensator Deus, omnia ex suo arbi-

trio, ex sua voluntate, ex proposito suo.

Hanc ipsam gratuitam ex proposito Dei praedestinationem impium esse negare S. Prosper aperte clamat in *Ep'st. ad Rufinum cap. XI.* Scribit enim, a confessione gratiae ex dono Dei ideo resiliisse Pelagianos, ne praedestinationem definitam, et gratuitam admitterent; *quod tam impium est denegare, quam ipsi gratiae contraire.* Similia habet, et fortasse vehementiora S. Petrus Diaconus: *Anathemizanus Pelagium et Caelestinum, simulque Iulianum Aeclanensem, et qui illis similia sapiunt, praecipue libros Fausti, Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra Praedestinationis* (gratuitae nimirum, quam Augustinus contra Pelagium defendebat, et quam Cassianus, aliique in Gallia oppugnabant) *sententiam scriptos esse non dubium est.* Cui S. Fulgentius consonat *Lib. de Incarnat. et Grat. Chr. cap. ult.* quem locum supra adtulimus *pag.* 235. In eamdem doctrinam convenit Ecclesia. Mitto argumenta, quae ex Conciliis adversus Pelagianos depromi possunt. Pontifices enim Romani nullo non tempore gratuitam praedestinationem sartam tectam tueri studuerunt. Coelestinus I. in *Epistola ad Gallos*: *resistatur*, ait, *talibus* (presbyteris nempe quibus-

dam, qui Augustini doctrinam de gratuita praedestinatione reprehendebant. de quibus conquesti sunt Prosper, et Hilarius apud Pontificem) *quos male crescere videmus, nefas est haec pati religiosas animas? quarum adflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari.* Hinc iterum, iterumque fatetur Deum *gratuita dignatione* ex vasis irae facere vasa misericordiae, et alia huiusmodi, additque Augustinum semper habitum a Romana Ecclesia veluti optimum magistrum.

Hanc ipsam, quam tuèmur, praedestinationem et Leo Pontifex ratam habuit in *Epist. VI. cap. III.* quique ex Augustini libris, et ipsissimis Augustini verbis nonnulla excerpsit de gratia, et de libero arbitrio capita, in quibus potissima gratuitae praedestinationis fundamenta continentur, quae ad Patres Concilii Arausicani misit, ut ab Episcopis, qui in Concilio erant, reciperentur, et subscriberentur; quod ita factum. Eamdem tuetur S. Gelasius, qui in Concilio LXX. Episcoporum Augustini, et Prosperi scripta probavit; damnavit vero Io: Cassiani, et Fausti Regiensis libros, qui contra Augustini scripta, et contra gratuitam praedestinationem sentiebant. Maximum tamen pondus gratuitae praedestinationis doctrinae accedit ex Benedicti

XIII. suffragio in Bulla *ad demissas* cet. *cap. X. Magno animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia praesertim per se, et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam, absque ulla praevisione meritorum; quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino, et Thoma se hausisse Schola vestra commendabili studio gloriatur.*

Accedunt Illustrium Academiarum decreta. Quid de praedestinatione Parisiensis facultas senserit, perspectum adprime saeculo XIV. fecit. Tres enim propositiones Joannis de Mercuria confixit, quae germanam corrumpere adnitebantur electionem hominum ad salutem I. *propter opera futura praeordinari aliquem ab aeterno.* II. *ob liberi arbitrii usum, quem Deus praescivit; aliquem praedestinari.* III. *Deum gratis et misericorditer aliquem non praedestinare, ut non spectet etiam opera ipsius bona, vel alterius.* Confer. Natal. Alexand. *Hist. Eccles. saec. XIV.* Succedunt Lovaniensis, et Duacena facultas, quarum censuras adversus Lessium, et Hamelium videsis apud Cl. Hyacinth. Serry *Hist. Congreg. de Auxil. lib. I. cap. 3.*

Quid quod et Theologos nobilioris subsellii

strenuissime pro gratuita praedestinatione pugnasse scimus, quorum locupletissimum indicem habes apud Sylvium *Comment. in I. Part. Sum. Div. Thom. Quaest. XXIII. art. V.* Praestat tamen unum et alterum Societatis Jesu gravissimum scriptorem audire, Petavium nempe, et Bellarminum, interest enim et veritatem ab iis haurire, qui in eadem societate fuere, in qua Molina. Ait igitur Petavius *Lib. IX. de Praedest. cap. XI. Latinorum omnium Patrum principem esse, consensu Theologorum, Augustinum, cuius de gratia sententiam, quotquot deinde consecuti sunt Patres, ac Doctores, tum vero Ecclesiae Romanae praesides, Praesulumque conventus aliorum, ratam, et catholicam esse iudicarunt; ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret.* Postquam autem Augustini locum de gratuita praedestinatione ibidem recitasset, addit: *illustris, et peremtorius est, qui unus dirimendae controversiae sufficere potest, si quis minime studio partium obcoecatus, sed aequus, et quietus veritatis arbiter esse velit.* At dignissimus porro omnium qui audiatur Bellarminus *de grat. et lib. arb. lib. II. cap. XI. de gratuita praedest.* Is enim postquam

invictissimis argumentis gratuitam praedestinationem confirmasset; ait: *Itaque Sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo, et tertio adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiae et praedestinationis sententiam tulit, ut iam haec sententia* (gratuitae praedestinationis) *non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debeat.* Haec quum ita sint, satis quidem ex perpetua Ecclesiae traditione firmata manet praedestinatio ad gloriam ante meritorum praevisionem.

AVCTARIVM

An salva fide tueri possit praedestinatio ex praevisis meritis.

Sic in hanc rem Congregatio de Auxiliis, habita Romae pridie Non. Januar. anni MDCCLXV. *Dupliciter quis potest adserere electionem ad gloriam fieri ex praevisis operibus: primo ita, quod Deus primo decernat dare homini efficacem gratiam, ex cuius vi, et efficacia bene operetur, et deinde ex praevisione meritorum, procedentium ex efficacitate gratiae, Deus illum eligat ad gloriam. Et qui sic diceret, licet male philosopharetur,*

constituendo in Deo prius efficacem volitionem dandi media, quam efficacem intentionem finis; tamen ab errore Pelagianorum inveniretur alienus, quia iam admitteret, nihil habere hominem talem, quod non procederet ex efficacia gratiae Dei. Et hoc modo possunt aliqui Scholastici sine errore Pelagianorum procedere. Alio modo fit electio ad gloriam ex praevisione operum, seu innatae libertatis, bene ex se sola utentis auxiliis gratiae, et illa efficacia reddentis, ut eligatur ad gloriam. Et haec, a quocumque dicatur, aperta sententia Pelagianorum est. Confer. Cl. Serry *Lib. III. Hist. Congreg. de Aux. cap. XLI.*

RACEMATIO.

Quamvis praedestinatio ad gloriam sit omnino gratuita, ut abunde hactenus demonstratum est, adhuc tamen verum est, gloriam propter merita dari, quum non raro in sanctis libris mercedis nomine adpelletur, immo et corona iustitiae ab Apostolo. Haec autem duo, quae prima fronte inter se pugnare videntur, qua ratione sibi mutuo cohaereant, ex his etiam, quae huc usque dicta sunt, satis manifeste adparet. Deus enim praedestinando ad gloriam nihil omnino invenit in ho-

mine, quod aliqua retributione dignum sit, neque aliquid agnoscit in iis, quos eligit, et in quo reprobis praestent. Sed hos aeque ac illos eadem perditionis massa involutos intuetur; ex qua nonnullos sola suae misericordiae dignatione discernit, eosque per certissima media, et efficacissima gratiae suae auxilia ita ad bonum ordinat, ut per fidem, iustitiam, perseverantiam digni habeantur, qui in aeternae gloriae consortium vocentur, ita ut iniustus esset Deus, si eis in finem usque perseverantibus, iustitiae, et perseverantiae coronam negaret. Haec nimirum et ipse docuit Augustinus. Quamobrem nemo non videt iustitiam retributionis optime constare cum gratuita praedestinatione, neque enim merita illa, quorum intuitu Deus electos glorificat, spectari possunt ut caussa praedestinationis, quum solius gratiae dona sint, et ipsius praedestinationis effectus.

SECTIO VI.

De Sanctae Praedestinationis effectibus, et de Perseverantiae dono.

I. Misericordiae beneficia, quae exsuperantissimus Deus electis, ex absoluto, et effi-

caci voluntatis suae proposito eos ad aeternam beatitatem perducendi, in tempore confert, eadem ipsa apprime sunt, quae sanctae praedestinationis effectus dicuntur (74). Verum

(74) Bona temporalia, et mala, tum naturae, tum poenae, quamvis per se praedestinationis effectus dici nequeant, siquidem ad vitam aeternam non perducant; quum tamen a Deo ad salutem electorum ordinentur, recte per accidens sanctae praedestinationis effectus esse possunt. Nam ut Apostolus ait *ad Rom. VIII.* DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM IIS, QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI; quem locum praeclare illustrat S. Bernardus *Serm. I. de divers. art. VI. neque enim ad voluntatem serviunt, sed ad utilitatem: non ad voluntatem, sed ad salutem, non ad votum, sed ad commodum nostrum. Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter haec omnia, et etiam quae nihil sunt, numerentur, molestia, morbus, et ipsa mors etiam, et peccatum; quae quidem constat, naturas non esse, sed naturae corruptiones. An vero peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, timoratior, et cautior invenitur?* nec alia certe Augustini mens fuit, qui adiuncta locorum, temporum, et personarum in salutem electorum ordinari docet. Audi illum in *Homil. XXIII. Adul-*

ex Apostoli verbis *ad Rom. VIII.* 30. » Quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos

---

ter non fuisti in illa tua vita praeterita. . . hoc dicit tibi Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres; suasor defuit, et ut suasor deesset, ego feci: affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes quod non amisisti. At ut constanter reor, peccatum nullo quidem pacto inter praedestinationis effectus numerari potest, siquidem nec bonum est, nec Deum habet auctorem, nec ad aeternam gloriam tendit, quin et gratiae efficacis subtractio est. Fateor equidem, Deum sapientissimo consilio permittere quandoque, ut qui sunt ex praedestinatorum numero in peccata manifesta labantur, ut iustus superbiens, aut obdormiscens humilis fiat, et vigilantior. Quare Augustinus *lib. XIV. de Civ. Dei cap. XIII. Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant; salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit.* Confer et *Lib. de Cor. et Grat. cap. IX.* Sed an praedestinationis effectus sit ista peccati permissio, nequeo certe adfirmare. Novi equidem, clarissimos plures Theologos in hanc sententiam discessisse; verum ut quod sentiam, ingenue dicam, si peccati permissio praedestinationis esset effectus, habenda quo-

vocavit, hos et iustificavit, quos autem iustificavit, hos et glorificavit » aperte quantum innuitur, invocatione, iustificatione, et glorificatione omnem praedestinationis effectum positum esse.

SCHOLION. Vocationis nomine interna, et externa veniunt beneficia, quibus homines a Deo electi excitantur, et ad sanctificantem gratiam consequendam pertrahuntur. Huiusmodi sunt Evangelii praedicatio, miracula, tum et ipsa fides, et sancti affectus. Quum porro iustificationem dicimus, non gratiam sanctificantem tantummodo innuimus, sed et opera quaeque, vitae aeternae meritoria. Glorificatio autem est ultima praedestinationis meta, sive beatitas illa, quam Deus electis ex sua misericordia donat.

II. Vocatio tamen, et iustificatio, nisi cum

---

que esset ut beneficium, et gratia per Christum data, ideoque enixe expetenda. Quod si non sunt facienda mala ut veniant bona, quomodo petere possumus ut veniant mala sub aliqua specie boni? Absit a nobis hujusmodi petitio, quae contra Christi doctrinam est, qui nos sic Patrem orare docuit: ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO. Quid enim est ne nos inducas in tentationem? nimirum ne nos cadere sinat in tentationem.

perseverantiae dono coniunctae sint, numquam quidem sanctae praedestinationis effectus dici possunt. Non enim qui vocatus, et iustificatus est, sed qui in accepta iustitia perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quamobrem in reprobis, qui nempe e iustitia excidentes numquam resipiscunt, vocatio, et iustificatio providentiae supernaturalis effectus sunt, non autem praedestinationis.

III. Omnem igitur praedestinationis effectum ab uno perseverantiae dono pendere exploratissimum est. Sed quum perseverantiam dicimus, de illa quidem perseverantia loquimur, qua (ut Augustinus ait *Lib. de don. persev. cap. VI.*) *perseveraturus usque in finem; quae si data est, perseveratum est usque in finem, si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Dicimus quippe castum, quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus, perseverantiam usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere . . . hoc ergo donum, quum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Quum enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc potest donum amittere, neque aliud quoque poterat ante finem.*

IV. Duo autem perseverantiae donum complectitur, cum singularem nempe Dei in electos providentiam, qua efficitur, ut vel omnis peccandi occasio arceatur, vel ut mors eo tempore rapiat hominem, quo est in statu gratiae, et caritatis; tum insuper internam sanctae delectationis inspirationem, gratiae habituali superadditam, quae concupiscentiae tumultum, omniumque tentationum, quae in mortis agone occurrunt impetus validissimos retundet, ac superet. Atque huiusmodi interior gratia iis potissimum necessaria est, qui nec immatura morte, nec repentina rapiuntur, quibusque cum hoste communi ac vaferrimo diu multumque luctandum sit, ut eo maiori indigeant gratiae interna illustratione, ac abundantiori inspiratione caritatis, quo et pugna diuturnior subeunda, et hostes plures, atque odio implacabiles sint superandi.

SCHOLION I. Gratuitum Dei donum est perseverantia, et ante omnem meritorum nostrorum praevisionem. Dignus qui audiatur Augustinus *de dono persev. cap. XVII. Videte a veritate quantum sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam in finem usque huius vitae, quum huic vitae quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in*

finem; *sed mirabiliter*, *et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est*, *quod etiam parvulis detur haec gratia.*

SCHOLION II. Quum autem gratuitum Dei donum sit perseverantia usque in finem, non desinamus illam quidem assiduis precibus, et ferventioris caritatis operibus a Deo impetrare. Quin et ipsam mereri de congruo possumus, docente Christo Domino *Lucae XX.* VIGILATE OMNI TEMPORE, ORATE UT DIGNI HABEAMINI FUGERE ISTA OMNIA, QUAE FUTURA SUNT, ET STARE ANTE FILIUM DEI. Sed caveat quisquis, ne illam putet mereri de condigno, clamat enim Apostolus *ad Philipp.* 2. CUM METU ET TREMORE SALUTEM VESTRAM OPERAMINI; DEUS ENIM EST QUI OPERATUR IN NOBIS VELLE, ET PERFICERE PRO BONA VOLUNTATE, ex quibus Apostoli verbis, ut ait Augustinus *de Dono Persev. cap. III. satis dilucide ostenditur*, *et inchoandi*, *et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari*, *sed donari secundum ipsius secretissimam*, *eamdemque iustissimam*, *beneficentissimam*, *sapientissimam voluntatem.* Quamobrem merito Aransicanum Concilium *Can. X.* docet, semper esse divinum auxilium implorandum, ut in

bono opere ad finem usque perseverare possimus. Quod autem precibus impetratur, gratiae quidem rationem habet, non debiti.

Sectio VII.

Dogma fidei est, divinam Praedestinationem certissimam, et infallibilem esse, Deoque notum eorum numerum, qui salvandi sunt.

I. Divina hominum praedestinatio certissima est, infallibilis, et omnino immutabilis. ita sane ex Christi Domini oraculo apertissime constat. *Ioan X.* 27 OVES MEAE VOCEM MEAM AUDIUNT, ET EGO VITAM AETERNAM DO EIS, ET NON PERIBUNT IN AETERNUM, ET NON RAPIET EAS QUISQUAM DE MANU MEA. Et *ibid. XVII.* 6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS, QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO. TUI ERANT, ET MIHI EOS DEDISTI . . . EGO PRO EIS ROGO, NON PRO MUNDO ROGO, SED PRO HIS, QUOS DEDISTI MIHI, QUIA TUI SUNT. QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI, ET

NEMO EX EIS PERIIT, NISI FILIUS PERDITIONIS.

SCHOLION. Postremi loci sensus hic est: Nemo ex iis periit, quos dedisti mihi, sed Iudas periit, qui mihi datus non erat, quum filius esset perditionis. *To nisi* tantumdem in textu valet, ac *sed.* Frequens id Hebraeis, ut in *Lib. IV. Reg.* NON FACIAT ULTRA SERVUS TUUS HOLOCAUSTUM, AUT VICTIMAM DIIS ALIENIS, NISI DOMINO SOLI. Ubi et *nisi* pro *sed* ponitur. Non enim Dominus Israelis inter Deos erat alienos. Confer et *Apocal. XXI.* 27.

II. Porro sive ex parte Dei, sive ex praedestinatorum parte spectetur praedestinatio, infallibilis omnino est. Infallibilis quoad Deum, siquidem ab efficaci, et absolutissimo pendet decreto, quo sibi proposuit gloriam electis conferre, quod nequit omnino mutari. Infallibilis quoad praedestinatos, quandoquidem hi sunt illi praedestinati, et secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Quamobrem nullus eorum ex bono in malum mutatus ex ista excedet vita, quoniam sic est ordinatus, et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam aeternam.

SCHOLION. Salvandorum numero nec aliquis addi potest, nec demi; secundum enim

propositum voluntatis suae in efficacissimo; et aeterno decreto Deus sanctos suos praedestinavit, quam praedestinationem nemo mutare potest, sicut nemo potest eius voluntatem mutare. Sed et notissimus porro Deo salvandorum omnium numerus est. Quare Dominus Christus *Ioan X.* 14. EGO SUM PASTOR BONUS, ET COGNOSCO OVES MEAS. Et *XIII.* 18. EGO SCIO QUOS ELEGERIM. Et Apostolus *II. ad Timoth. II.* 19. COGNOVIT DOMINUS QUI SUNT EIUS.

III. Negotii tamen aliquid Moses nobis facessit, Deum pro Israelitis deprecaturus, *Exod. XXXII.* AUT DIMITTE EIS HANC NOXAM, AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO TUO, QUEM SCRIPSISTI. Anne enim aeternae praedestinationis liber mutationi obnoxius? Consulamus Mosem ipsum: *Num. XI.* 15. SIN ALITER TIBI VIDETUR, OBSECRO UT INTERFICIAS ME, NE TANTIS AFFLIGAR MALIS; Hem quam belle sui ipsius interpres est Moses! Tantumdem enim ei fuit dele me de libro tuo, ac dele me de libro viventium huius mundi, idest interfice me. Nec nos moveat, quod alibi Moses idem ait *Deuteron. I.* 11. DOMINUS DEUS VESTER MULTIPLICAVIT (Israelitas) ET ESTIS HODIE, SICUT

STELLAE CAELI, PLURIMI; ADDAT AD HUNC NUMERUM MULTA MILLIA; non enim de praedestinatis, sed de multiplicatione Israelitici populi aperte loquitur Vates. Quod autem Propheta ait in *Ps. LXVIII.* DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, ET CUM IUSTIS NON SCRIBANTUR de impiis omnino intelligendum. Quare sic locus explicandus videtur cum Augustino: « deleantur de libro viventium, qui se putant in eo scriptos » vel cum S. Thoma: » deleantur de libro vitae, idest ad iustificationem non perducantur. »

Sectio VIII.

Nemo, nisi cui Deus revelaverit, de sua Praedestinatione certus esse potest.

I. Quamvis eorum, qui praedestinati sunt in Regnum Dei, ita certus sit numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis, recte tamen Apostolus ait *ad Philip. II.* 12. CUM METU, ET TREMORE VESTRAM SALUTEM OPERAMINI. Et *ad Romanos II.* 20. TU AUTEM FIDE STAS; NOLI ALTUM SAPERE, SED TIME. Vi-

de bonitatem, et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris. Sed cuius est sollicitudo, cuius timor, et tremor, nisi dubitantis? Et *Apoc.* 3. TENE QUOD HABES, UT NEMO ACCIPIAT CORONAM TUAM. Quis igitur, ait Augustinus *de Cor. et Grat. cap. XIII.* » ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur in numero praedestinatorum se esse praesumat? Timeant et qui bene currunt, cum occultum est qui perveniant. Praesumtio enim in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas ut superbiam possit generare securitas ». Cui S. Bernardus consonat *Serm. I. in Septuag. Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de numero filiorum, reclamante nimirum Scriptura*: NESCIT HOMO SI DIGNUS SIT AMORE, AN ODIO?

SCHOLION. Ut de nostra praedestinatione timeamus, ipsa nos monet, atque prope urget quotidiana experientia, ut praeclare ait Gregorius Magnus *Hom. XXXVIII. in Evan. lib. II.* » Nonnulli enim bono nec incipiunt, nonnulli vero in bonis, quae incoeperunt, minime persistunt. Alter pene totam vitam ducere in pravitate conspicitur, sed iuxta finem vi-

tae a gravitate sua per districtae poenitentiae lamenta revocatur. Alter electam videtur ducere vitam, et tamen hunc contingit ad erroris nequitiam iuxta finem declinare. Alius bonum bene inchoat. melius consummat. Alius in malis actibus a primaeva aetate se deiicit, et in ipsis operibus semper seipso deterior consummatur; tanto ergo unusquisque sibi sollicite metuat, quanto ignorat quod restat ».

II. Quare adversus dementes Lutheranos, et confidentissimos Calvinistas id Patres Concilii Tridentini firmiter decreverunt (*Sess. VI. cap.* 12.) *Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum . . . : nam nisi ex speciali revelatione sciri potest, quos Deus sibi elegerit.* Et *cap. XV. Si quis dixerit, hominem renatum, et iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, anathema sit.* Et *can. XVI. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

III. Nec est cur nobis unum et alterum S. Scripturae testimonium opponant Calviniani;

veluti illud Apostoli Paulli *VIII.* 10. SPIRITUS TESTIMONIUM REDDIT SPIRITUI NOSTRO, QUOD SUMUS FILII DEI; SI AUTEM FILII ET HEREDES. Non enim de certa praedestinatione loquebatur Apostolus, sed de spe, quam iusti in Deo concipiunt, ut sicut in eis salutem incoepit operari, ita et ex sua miserisordia perficiat. Quod et ex iis, quae subdit, aperte patet: COHEREDES AUTEM CHRISTI, SI TAMEN COMPATIMUR; vide conditionem; UT ET GLORIFICEMUR. Mox *vers.* 36. CERTUS SUM, QUIA NEQUE CREATURA ALIA POTERIT NOS SEPARARE A CARITATE DEI. Sed de solis praedestinatis Apostoli verba accipienda sunt. Si autem, ait S. Thomas *Lect. VII. hoc dicit de seipso, de hoc certus esse non poterat, nisi forte per revelationem, quia dictum est ei, sufficit tibi gratia mea: nam quantum ad possibilitatem liberi arbitrii ipse dicit: ne forte quum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar.*

IV. Demum ad Corinthios scripserat Apostolus *II.* 12. NON SPIRITUM HUIUS MUNDI ACCEPIMUS, SED SPIRITUM, QUI EX DEO EST, UT SCIAMUS QUAE A DEO DONATA SUNT NOBIS. Verum non heic de aeterna praedestinatione loquitur

Paullus, sed de mysteriis Christi, quae per Spiritum Dei cognoscuntur, quare addit: QUAE ET LOQUIMUR NON IN DOCTIS HUMANAE SAPIENTIAE VERBIS SED IN DOCTRINA SPIRITUS. Ceterum si quae alia loca in Sacro Codice sunt, quae Dogmati adversari videantur, ea non de praedestinatione, sed de spe praedestinationis intelligenda, ut *Ioan. III.* 14. *IV.* 13. *V.* 13.

SCHOLION. OMNIA QUAECUMQUE ORANTES PETITIS, CREDITE, QUIA ACCIPIETIS, ait Christus Dominus *Marc. XI.* 24. Sed non quia orans petis salutem, ideo de tua salute certus esse potes. Certus enim esses de tua praedestinatione, si scires te in oratione, quae Deo placeat, usque in finem perseveraturum, neque umquam ex eorum numero futurum qui labiis Deum honorant. Haec autem vel in ipso mortis articulo quis certissime novit? Scimus enim et ipsas firmissimas Ecclesiae columnas in terribilissimo omnium illo momento contremuisse. Scimus Sanctos cum propheta exclamasse: NON INTRES IN IUDICIUM CUM SERVO TUO, QUIA NON IUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS.

V. Cui tamen Deus revelaverit, hic de sua praedestinatione certus esse potest; quem-

admodum certus erat Petrus, qui de seipso ait: *Epist. III.* 1. 14. CERTUS SUM QUOD VELOX EST DEPOSITIO TABERNACULI MEI, SECUNDUM QUOD ET DOMINUS NOSTER IESUS CHRISTUS SIGNIFICAVIT MIHI. Certus et de sua praedestinatione erat ex revelatione Christi Latro, qui in cruce pendebat, cui Dominus dixit: HODIE MECUM ERIS IN PARADISO *Luc. XXIII.* Certus etiam Stephanus, quum lapidaretur, de quo *Act. VII.* An non et de sua praedestinatione certa erat Domina nostra Virgo Diviparens Maria?

VI. At cui nihil de salute revelatum est, de salute timeat; MULTI ENIM SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI *Matth. XX.* 15. Et ei qui interrogabat. *Luc. XIII.* 23.: DOMINE SI PAUCI SUNT, QUI SALVANTUR? respondit Christus Dominus: CONTENDITE INTRARE PER ANGUSTAM PORTAM, QUIA MULTI, DICO VOBIS, QUAERENT INTRARE, NON POTERUNT. Et alibi nos ita hortatur: INTRATE PER ANGUSTAM PORTAM, QUIA LATA ET SPATIOSA VIA EST, QUAE DUCIT AD PERDITIONEM, ET MULTI SUNT QUI INTRANT PER EAM. QUAM ANGUSTA PORTA, ET ARCTA VIA EST, QUAE DUCIT

AD VITAM, ET PAUCI SUNT, QUI INVENIUNT EAM.

VII. Sed antequam hinc noster abeat sermo, malae sanae philosophiae argumentationem audiamus. Stultus enim stulte philosophatur: aut e numero sum electorum, aut non sum; si ex illo sum numero, fieri non potest, ut e salute excidam: Decretum enim illud Dei efficax et immutabile deficere non potest. Si non sum, nullo meo conatu salutem adsequi potero. Quidquid agam igitur, ad salutem perveniam, si a Deo sim electus; in damnationem vero praeceps ruam, si sim reprobus. Vah qui sic in tuis sepultus passionibus deliras! Apage: Praedestinationis enim nostrae executio ex meritis pendet, per quae Deus sempiternae felicitatis praemia se nobis conlaturum ab aeterno decrevit; quamvis prima ratio, qua ductus est ad beatitatem nobis destinandam, non sint merita nostra, sed una illius misericordia et bonitas. Bona autem illa opera, quae in divina praedestinatione, ut media ad illius consummationem a Deo praeordinata, utque gratiae eius munera ad hunc finem data involvuntur, electorum liberrima cooperatione ponenda sunt, ipsa etiam perseverantia. Quamobrem sicut vel ipsa stultitia stultissimus censendus esset agricola, qui diceret;

Quidquid agam, nihilominus terra fructum dabit, messemque adferet uberrimam, si Deus ita decreverit, vel non adferet, si futuram praenoverit, atque decreverit sterilitatem, quandoquidem voluntas eius deficere, aut praescientia falli non potest, quid igitur necesse est ut laborando sudem, sudando seram? quemadmodum item non nisi mente captus diceret architectus: Domus ista stabit, si Deus ita decreverit, sin vero, certissime corruet; quid ergo refert super quod fundamentum aedificem, utrum in arena, an supra firmam petram, an ex selectis, et adfabre dolatis lignis, sectisque, ac politis lapidibus, vel ex foeno, et stipulis extruam? Ita et stultissima est hominis mens, cui suasum sit, ad aeternam felicitatem pervenire posse, quidquid agat, si ex electorum numero sit; aut ab ea defecturum, si ex reproborum numero.

Inquit enim Apostolus *I. ad Cor. III.* DEI AGRICULTURA ESTIS; DEI AEDIFICATIO ESTIS. Deus seminat in cordibus nostris verbum suum, gratiam suam, et per Spiritus Sancti subministrationem dat incrementum, ut fructum adferat: Verumtamen et nos seminemus oportet bona opera, ut tempore messis manipulos cum exsultatione feramus, in horreo caelestis Patris familias recondendos.

Quae enim, ut Apostolus idem ait (*ad Galat. VI.*), seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Meminerimus (*ad Hebr. VI.*) quod terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Aedificemus domum spiritualem, non super arenam, sed super firmam petram, super fundamentum solidum, et inconcussum, quod est Christus Jesus. Superaedificemus aurum, argentum, lapides pretiosos, nimirum opera bona, opera virtutum propter Deum. Servemus, et custodiamus mandata Dei, nam qui (1. *Ioan. III*) servat mandata eius in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis. Adnitamur ut gratia Dei nobiscum habitet, nec nobis umquam desit; quae si deest, nostra deest culpa, quoniam Deus non deserit, nisi deseratur, et ut Augustinus ait, nisi fecerimus casum, ipse a nobis non facit occasum.

Cap. XIV.

DE REPROBATIONE.

I. Sanctum fidei dogma est, et in utriusque Foederis tabulis aperte revelatum, aliquos ex inscrutabili divinorum iudiciorum abysso a gloria reiici aeterna (75). Quamobrem adpellantur *reprobi ad Cor. II.* 13. *odio habiti Rom. IX. vers.* 13. *maledicti Matth.* XX*V. v.* 41. *despecti Eccl. VII. ver.* 14. *vasa in contumeliam, vasa irae apta in interitum Rom. IX. vers.* 22. *filii perditionis Io: XVII. v.* 12., et *hoedi a sinistris* statuendi, ut distinguantur ab *ovibus*, *Matt. XXV. vers.* 33. Praesciti porro a Sanctis Patribus non raro

(75) Praedestinationi reprobatio opponitur. Illa est electio ad gloriam, haec contra est a gloria eiectio. Verum bifariam a Theologis consideratur, sive enim comprehendit exclusionem a gloria, et damnationem ad poenam, et positiva dicitur, sive solam exclusionem a gloria spectat, et negativa nuncupatur. Cuncta quae hic edisseruntur certa fide constant apud Catholicos, si unam excipies caussam negativae reprobationis, de qua salva fide Theologi disputant.

dicuntur vel ideo, quod Deus reproborum peccata praesciat tantum, non vero praedestinet.

SECTIO I.

Deus homines non praedestinavit absoluto decretò ad aeternam damnationem ante praevisionem peccatorum.

I. Quemadmodum praedestinatio luci similis est, quae ex Caëlo oritur, et in aërem, terramque diffunditur, nihil illis ad illuminationem sui conferentibus: ita reprobatio similis est fulmini, quod oritur e terra materiam subministrante, sed e nubibus in ipsam recidit. Praedestinatio namque ex Deo est, nihil nobis meriti conferentibus: reprobatio ex nostra dimanat iniquitate. Deus enim neminem odio habet, nec hominem creavit, ut in odio esset apud eum, odio tamen habet peccata, quae ipse non facit, et propter peccata dumtaxat hominem peccati fabricatorem odit. Quare de Deo dicitur *Sap. XI.* 25. DILIGIS OMNIA QUAE SUNT, ET NIHIL ODISTI EORUM, QUAE FECISTI; NEC ENIM O-

DIENS ALIQUID CONSTITUISTI, AUT FECISTI. Ecquod tamen id odium est in impios? quum *Ezech. XVIII.* 23. manifeste dicat: NUMQUID VOLUNTATIS MEAE EST MORS IMPII, DICIT DOMINUS DEUS, ET NON VT CONVERTATUR A VIIS SUIS, ET VIVAT?

II. Pestis illa tamen horrenda, monstrumque humani generis execrabile Calvinus blasphemavit quam qui pessime, Deum saevum adeo, et crudelem esse, ut primo magnam hominum partem ideo crearit, ut eos poenis excruciet aeternis; hinc eosdem ad mala perpetranda adigat, ut aeternam perditionem sibi promeruisse videantur. Indigno tamen lapide iacto docebat, electorum, reproborumque praedestinationem sine ulla peccatorum praevisione ab uno divinae voluntatis placito pendere. Hinc *Instit. Lib. III. cap. XXI. aliis*, inquit, *vita aeterna*, *aliis damnatio aeterna praeordinatur.* Et *Lib. I. cap. XVIII. a Deo ipso manat efficacia erroris.* Vnde mox explicans quo modo fatale illud aeternae reprobationis decretum Deus exequatur, sic perfricta instat fronte (*Lib. III. Instit. cap. XXIV.*) *Quos in vitae contumeliam, et in mortis exitium creavit, ut irae suae organa forent, et severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc*

audiendi verbi sui facultate privat, *nunc eius praedicatione magis excaecat*, *et obstupefacit* (76). Quam nefandam prorsus Calvini doctrinam ipsimet Calvini asseclae adeo exhorruerunt, ut non pauci a magistro hac in parte discesserint.

III. Quid enim indignius de Deo umquam dici potest, quid detestandum magis? Audiamus iterum Sanctas Scripturas *Ecclesiastici XV.* 2. NEMINI MANDAVIT DEUS IMPIE AGERE, ET NEMINI DEDIT SPATIUM PECCANDI. Et *Ps. V.* NON DEUS VOLENS INIQUITATEM TU ES. *Oseae* 13. 9. PERDITIO TUA ISRAEL (*ex te*) TANTUMMODO IN ME AUXILIUM TUUM. *Sap. I.* 23. NEC LAETATUR DEUS IN PERDITIONE VIVORUM, CREAVIT ENIM UT ESSENT

(76) Nequeo sane bilem continere dum Calvinus animo occurrit. Quamvis enim una eius, et perpetua sit querela, homines a Deo excitari, moveri, atque ad peccandum impelli, quemadmodum et supra adnotavimus *pag.*. 51. audet tamen amplius conqueri, *se turpi*, *et illiberali calumnia gravari*, *quod Deum faceret peccati auctorem*. Quis talia crederet? quis tantam ferret impudentiam. Hominem abunde divexavit Eminentissimus Bellarminus *Controvers. lib. II. de statu peccati cap. III.* quem confersis.

OMNIA. *Jacobi I.* 13. NEMO CUM TENTATUR, DICAT: QUONIAM A DEO TENTATUR; DEUS ENIM INTENTATOR MALORUM EST, IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT. Vide aperte quantum Calvino resistat Scriptura, ut nec verbo, nec argumentatione opus.

IV. Infami homini sanctam quoque opponimus traditionem: non enim vice simplici definitum, immanem ac detestabilem esse blasphemiam adserere, Deum impios et iniquos ad ipsam impietatem, et iniquitatem praedestinasse. Et primo Concilium Arausicanum an. DXXIX., quod ab universali Ecclesia receptum, infallibilem sibi vindicavit auctoritatem, sic decrevit *Can. XXV. Aliquos ad malum divina potestate esse praedestinatos non solum non credimus; sed etiam, si sunt, qui tantum malum crederent, cum omni detestatione anathema illis dicimus.* Arausicano Valentinum III. succedit Concilium anno DCCCLV. *Can. II. Non ex praeiudicio Dei aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis credimus condemnari, nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali vel actuali permanserunt.* Et *Can.*

III. haec adpositis verbis habet: *fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen salvandorum misericordiam praecedere meritum bonum: in damnatione vero periturorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium.* Et mox subdit: *in malis Deum illorum malitiam, quae ex ipsis est, praescisse, non praedestinasse, quia ex illo non est: poenam vero malum eorum sequentem, et praescisse, et praedestinasse, quia iustus est.*

V. Haec omnia praeclarissime confirmavit Tridentina Synodus *Ses. VI. Can VI. Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli* (77), *anathema*

---

(77) Haec nempe ipsissima sunt delirantis Melanchtonis verba in *Adnot. Epist. ad Rom.* Quod enim de calice magistri sui Lutheri biberat, id evomuit. Quum vero Lutherum dicimus, ipsam impietatem, vel si quid ipsa impietate peius est, nominamus. Sane in *Lib. de servo arbitrio* non erubuit adfirmare, *Deum operari vitam, et mortem, operari mala in nobis, atque in nobis ipsa sua*

sit. Et *Can. XVII. Si quis iustificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam aeternam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit.*

VI. Ingentem praeterea Sanctorum Patrum turbam huc ad convellendas Calvini blasphemias, atque ad constabiliendam veritatem adducere possem, nisi ipsa per se luculentissime pateat veritas. Sane de Patribus, qui proxime ab Apostolico aevo vixerunt, ita ipsi Centuriatores Magdeburgenses testantur *Cent. II. cap. IV. De praedestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque, hominis scilicet, et diaboli lapsum attinet, negarint eum fatali necessitate contigisse: nec praedestinationem in eo Dei, sed praescientiam solam admiserunt.* Quid de Iustino martyre dicam, cuius innumera tum in *Apolog. pro Christianis* tum in *Dialog. cum Tryphone* testimonia conrasit Vossius *Hist. Pelag. lib. VII.*? Quid de Isidoro Pelusiota qui praeclara habet in *Epist. LVI.*? Quid de Tertulliano? qui stylum

---

mala opera punire. Horrendas hinc blasphemias quas mox eructat, adduci nequeo quin heic morer.

ita perstringit *Contr. Marc. cap. XI. Vsque ad delictum hominis Deus a primordio tantum bonus, exinde iudex, et severus. Ita prior bonitas Dei secundum naturam, severitas posterior secundum caussam; illa ingenita, haec accedens: illa propria, haec commedata: illa edita, haec adhibita: alteram sibi, alteram reis Deus praestitit.*

VII. Quam belle factum porro! ante Calvinum Calvino Augustinus fauces perstrinxit in *Lib. XIII. de Trinitate cap. XII. Modus iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam Deus hoc fecerit, aut fieri iusserit; sed quod tantum permiserit, iuste tamen.* Et *Lib. III. contr. Iulian. cap. XVIII. Bonus est Deus, iustus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Profecto si non potest Deus quemquam sine malis meritis damnare, nec poterit sine malis meritis ad damnationem praedestinare. Eodem modo *Lib. IV. cap.* 3. *Nullum Deus eligit dignum, sed eligendo efficit dignum, nullum tamen punit indignum*; scilicet praedestinatio gratuita est, et a Dei misericordia oritur; reprobatio ex peccatorum praevisione, quia opus est iustitiae.

VIII. Augustino succedunt S. Prosper, et S. Fulgentius; ille quidem in *Respon. ad capit. Gallor. cap. VII. Horum*, inquit, *lapsum Deo adscribere immodicae pravitatis est, quasi ideo ruinae ipsorum impulsor, atque auctor esset, quia eos ruituros propria ipsorum voluntate praescivit; et ob hoc filiis perditionis nulla praedestinatione discrevit.* S. Fulgentius vero *Lib. I. ad Monimum: Certum, non esse praedestinatos malos ad hoc quod male operantur, sed ad hoc quod iuste patiuntur, praedestinatos ad poenam non ad culpam.*

IX. Tempus at est, ut os Calvino occludamus, ne et mussitandi ansam amplius habeat. Quamplurima enim Scripturarum loca conglobando opponit, quae singulatim interpretamur. Et primo ex *Prov. XVI.* 4. VNIVERSA PROPTER SEMETIPSUM OPERATUS EST DOMINUS, IMPIUM QUOQUE AD DIEM MALUM, quo loco contendit, Deum aliquos ad aeternam damnationem creasse. At quorsum id? nihil sane ex eo textu tam pronum est intelligere, quam unum esse rerum omnium auctorem, qui omnia in suam gloriam convertit, et eos etiam quos Deus praevidit impios futuros, ad suam gloriam factos; non effugiunt enim Dei iu-

stitiam, quae illos in diem malum servat.

X. Nec negotii aliquid facessit illud *Amos III.* 6. SI ERIT MALUM IN CIVITATE, QUOD NON FECERIT DOMINUS, quod sane de malo poenae intelligendum, quam de Judaeis propter eorum peccata Deus merito sumebat, non minus bonus, quam iustus, scelerumque vindex. Huiusmodi poenae alludit etiam *Isaia XLV.* 6. EGO DOMINUS, ET NON EST ALTER, FORMANS LUCEM, ET CREANS TENEBRAS, FACIENS PACEM, ET CREANS MALUM.

XI. Vrget hic tamen nos Calvinus contendens in malo poenae malum culpae includi, cuius Deum caussam esse, et sibi, et stultis suadet ex *Gen. XLIII.* ubi Ioseph ad fratres, a quibus iniuste venditus erat, inquit: NON VESTRO CONSILIO, SED DEI VOLUNTATE HUC MISSUS SUM. Itemque ex *Lucae XXII.* 22. ET QUIDEM FILIUS HOMINIS SECUNDUM QUOD DEFINITUM EST, VADIT, VERUMTAMEN VAE HOMINI ILLI PER QUEM TRADETUR. Sed iterum dico, stultis fortasse imponit Calvinus. Quod enim ad Josephi verba pertinet, Deus pravas fratrum voluntates non excitavit, sed non impedivit, ordinavit tamen eas ad finem intentum. Rem Joseph ipse aperte ex-

pressit *Gen. L.* 20. iisdem fratribus dicens: VOS COGITASTIS DE ME MALUM, SED DEUS CONVERTIT ILLUD IN BONUM. Vnde ne alia Scripturae loca adducat, semel dicamus, opus ipsum sanctum est, et iustum, et a Deo praefinitum, ipsa vero operis executio iniusta, crudelis, Deo invisa, sed ab ipso ordinata ad meritum iustum, et vindictam reproborum. Quod ipsissimum intelligas de morte Christi Domini nostri; quae quatenus divinae iustitiae satisfactio, et humani generis redemptio bonum opus fuit, et ab aeterno praedestinatum, sed mortis executio per perfidos Judaeos nonnisi permissa tantum a Deo fuit, et praecognita. Praeclare hinc S. Leo Magnus *Serm. LXVII. de pas. Dom. cap. II. Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio, et illud facinus, quod omni maius est crimine, manus divinae praeparationis armavit? Non hoc plane de summa iustitia sentiendum est; quia multum diversum, multumque contrarium est, id, quod in malignitate Iudaeorum est praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Impias*

furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo quod faciendum esset, coepit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.

XII. Ad incitas redactus Calvinus bellum integrat, de quo sibi triumphare videtur propter Apostoli locum *ad Rom. IX. vers. II.* ubi de Jacob et Esau, quum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, Deus ait: IACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI; ergo Deus absque praevisione boni, et absque praevisione mali, aeque praedestinat ad damnationem, ac ad vitam aeternam. Heus tu Calvine! quid obgannis? Nonne et Jacob et Esau de eadem massa corrupta erant, et peccato originali infecti? illum dilexit propter misericordiae gratiam, hunc odio habuit propter irae iustitiam. Quare Augustinus *Epist. CLXXXVI. nulla in Jacob et Esau opera propria bona, vel mala; sed uterque illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt.* Et in *Lib. II. ad Bonifac. cap. VII. Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immerito, et gratis datur, quia in eadem massa est cui datur: malum vero merito et debitum redditur, quia in*

massa perditionis malum malo non male redditur.

Sectio II.

De negativae reprobationis caussa.

I. Quae huc usque de absoluta, et positiva reprobatione eloquuti sumus, de exclusione scilicet a gloria, et de damnatione simul ad poenam, satis aperte adversus Calvinum, et Calvinianos omnes dogma fidei evincunt, Deum absoluto decreto non praedestinasse homines ad damnationem aeternam ante praevisionem peccatorum. Explorata nimirum res est, reprobationis caussam non aliam esse, nisi reproborum peccatum, ante corporis solutionem non expiatum; et parvulos quidem propter originalem labem damnari, adultos infideles propter originale simul et actuale peccatum, adultos vero baptizatos propter actuale.

II. Nunc autem sermo noster ad solam exclusionem a gloria convertitur, sive ad negativam reprobationem tantum, de cuius caussa quamvis inter Catholicos non constet, apud omnes fere tamen Theologos receptissi-

ma est sententia, unum peccatum originale eius caussam esse.

III. Luculentissima enimvero in Sacris Scripturis habemus testimonia, quibus id adprime evincere possumus. Apostolus enim *ad Rom. IX. 11. et seq.* de Jacob et Esau ait: CUM NONDUM NATI FUISSENT, AUT ALIQUID BONI EGISSENT, AUT MALI, UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEI MANERET, NON EX OPERIBUS, SED EX VOCANTE DICTUM EST EI: QVIA MAIOR SERVIET MINORI, SICUT SCRIPTUM EST: IACOB DILEXI; ESAU AUTEM ODIO HABUI. Et mox subdit ibidem v. 21. AN NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI EX EADEM MASSA FACERE ALIUD QUIDEM VAS IN HONOREM, ALIUD IN CONTUMELIAM? quae quidem de positiva reprobatione intelligi nequeunt, quam adversus Calvinianos abunde evicimus ex praevisione peccatorum fieri.

IV. Quid enim Deus odisse poterat in Esau quum nondum natus esset? quid in reprobis nisi quod ipse Deus non fecit, idest peccatum originale? Adprime Augustinus *Lib. I. ad Simplic. Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Et clarius in *Epist.*

ad Sixtum: *Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali*, *nisi originale peccatum*? Nimirum eodem modo, quo figulus ex eodem luto unum vas in honorem, aliud format in contumeliam, habet Deus potestatem ex eadem massa perditionis unum eligere, alium reprobare, siquidem massa illa peccato primi hominis est inquinata. Quod si vasa in contumeliam fierent homines sine originali peccato, iniustus utique esset Deus et iniquus, ut idem ait Augustinus in *Epist. DLVII. Merito videretur iniustum*, *quod fiunt vasa irae ad perditionem*, *si non esset ipsa universa ex eadem massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa irae*, *pertinet ad debitam poenam*. Et in *Epist. ad Sixtum*: *Quaerimus caussam praedestinationis*, *et invenire non possumus*: *quaerimus caussam derelictionis*, *et invenimus eam caussam esse peccatum originale*.

SCHOLION. Deus magna bonitate miseretur, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam, ab origine ducta caussa communis.

V. Nec porro quidquam contra facere vi-

detur, quod dogma fidei sit, et Tridentina Synodo definitum *Ses. V.* in baptizatis peccatum originale integre remissum, et nihil Deum odisse, nihilque damnationis superesse. Quamvis enim originalis labes per baptismi lavacrum *quoad reatum* remissa fuerit, remanet tamen in animo concupiscentia, quae generat peccatum; cui ut efficaciter et usque ad finem vitae resistamus Divinae efficacis gratiae auxilio indigemus, quam electis Deus per suam misericordiam tribuit, reprobis per iustitiam denegat, unde fit ut propria culpa in peccata ruant, et in peccatis persistentes merito damnentur.

Sectio III.

Reprobationis effectus numerantur.

I. Ratum, firmumque est, hominem Deo permittente in peccatum delabi, Deo volente in peccato deseri, et in peccato relictum aeterno supplicio addici. Tria haec, quae reprobationem constituunt, quum in tempore maturantur, effectus ipsius reprobationis dicuntur.

II. Primus hinc reprobationis effectus est

peccati permissio. Quamvis enim Deus non vult peccatum, quia peccati iustus vindex est, non auctor, ut alibi evicimus, id tamen ad gloriae suae manifestationem permittit; et volens permittit. Verum quid iste sermo? si Deus non vult peccatum, quomodo volens permittit? Augustini verbis utar *Enchir. cap. XIX.* » Quantum enim ad ipsos (impios) adtinet, quod Deus noluit, fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem fecerunt Dei, de ipsis facta est Dei voluntas. Propterea namque *Ps. X.* MAGNA OPERA DOMINI, EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EIUS, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens, nec sineret bonos fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene ».

III. Alter reprobationis effectus est impii in impietate derelictio, qua sine nec ipsa peccati permissio reprobationis esset effectus. Permisit enim Deus in Apostolo Petro peccatum, permittit et in electis, sed quum in peccato relicti non sint, quippe filii in misericordiam, nec ipsum ideo peccatum re-

probationis est effectus. Permisit porro peccatum in Apostolo Juda, quod utique reprobationis effectus fuit, siquidem in peccato relictus, erat enim filius perditionis. Impium vero in impietate sua relinquit Deus, quum ex suorum iudiciorum inscrutabili abysso gratiam efficacem, et perseverandi usque in finem gratuitum donum denegat.

IV. Postremus autem istius reprobationis effectus est poena aeterna, quam ipse suis manibus fabricavit reprobus. Is enim baptismi salutari aqua lotus sibi et carni magis adhaerens quam Deo, segnes salutis negotium agit, mox de se praesumens legem pessum incipit habere, nec leviora aestimat delicta. Ignis concupiscentiae, ipso exsufflante, in corde accenditur, mox peccat, et peccatis peccata superstruit. Mortuam animam per poenitentiae medicamenta sanare negligit. Delabitur hinc in mentis caecitatem, fiunt viae illius tenebrae, et lubricum, et quum in profundum venerit non intelligit, rationem obscurante fascinatione nugacitatis. Fitque tum deterior gressus, et ab excaecatione cordis in obdurationem prolabitur. Sic excaecatus, sic obduratus suis pedibus locum intrat, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Cum timore igitur nostram instanter operemur salutem; quamdiu enim carnis pondere premimur, magno in discrimine versamur, ne aeternae praedestinationis bono indigni, et promeritae reprobationis malo digni efficiamur. Timeant et qui bene currunt. dum occultum est, qui perveniant. Quamobrem Apostolus opportune clamabat: qui videtur stare, videat ne cadat. Inter tot enim immania huiusce mortalitatis saxa, inter saevos, et tumentes undique mundi fluctus, quid facilius, quam nostrae salutis navicula, vel allisa scopulis, vel undarum obruta vorticibus submergatur? O quid agimus? iactemus in Domino anchoram firmissimam, cui fidem, spem, caritatem, et omnem denique salutem committamus. Ab una hac anchora universa salus pendet, ab Omnipotenti Deo, qui maxima, et pretiosa nobis promissa donavit; ut per haec efficiamur divinae consortes naturae, fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem; et ministrantes in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia continentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem, quae tribuet nobis

ille misericors, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, a quo sit pax, et benedictio.

Finis Libri Primi.

INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM

Tomi II. Finis.

VA 1529199

ERRATA	CORRIGE
Pag. 1. v. 5. deterrerant	deterreant
22. v. 20. quod quod	quod
40. v. 21. BΩAANOC	BOΛANOC
100. v. 26. obstingitur	obstringitur
111. v. 9. attingerint	attigerint
175. v. 24. praeteterea	praeterea
183. v. 23. poro	porro
199. v. 12. antecenti	antecedenti
203. v. 12. discrèbant	discrepabant
243. v. 10. γηυσι	γηυουσι

Digitized by Google

Digitized by Google

163
C
13

Digitized by Google